DE VERBORUM COLLOCATIONE
APUD
AESCHYLUM SOPHOCLEM EURIPIDEM
CAPITA SELECTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

TRADIDIT

THEODORUS HARMSEN

SLEVISCO-HOLSATUS.

TYPIS EXPRESSIT H. GERLACH, FRIBERGAE SAXONIAE.

MDCCCLXXX.

PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA (G. CALVÖR) GOTTINGAE.

PATRI CARISSIMO

S.

Verba mihi facturo de collocatione verborum in tragoedia Graeca ne opus sit excusatione, non vereor, cum quanta sit vi collocatio ad gravitatem orationis augendam exornandamque eam et ad commovendos eorum, qui audiunt, animos, nemo non intellegat. Ubi primum autem accuratius in hanc rem inquirere coepi, statim animadverti, si totam illam quaestionem, quippe quae latissime pateat, certisque terminis coërceri vix possit, tractarem, huiuscemodi commentationis fines longe excedere necesse esse. Qua de causa magis e re mihi visum est de paucis quibusdam huius materiae partibus accuratius disserere, quam totam illam quaestionem leviter adumbrare. Itaque uno capite, praepositionum collocatio a poëtis tragicis Graecis usurpata quibus rebus ab usu cotidiano abhorreat, singillatim ostendam, altero capite, collocatio attributorum quas habeat proprietates, quaerere conabor.

Caput I.

De collocatione praepositionum.

§ 1.

De praepositionibus a substantivis seiunctis.

Praepositionum, quae aliis verbis interpositis a substantivis seiunguntur, quamquam nonnulla exempla attulerunt Kühnerus[1] et Krügerus,[2] qui accuratius de hac re disseruerit, non invenio.

Atque primum quidem id praemoneam in hac re non agendum esse de adiectivis vel genetivis, quae inter praepositiones et substantiva inter-

[1]) Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache II, 1, pag. 480.

[2]) Griechische Sprachlehre für Schulen II, 68, 5, 1—5.

cedunt, cum, si collocationem solam respicimus, haec verba artius cohaereant cum praepositionibus, quam cum substantivis. Invenimus enim saepissime ea verba in fine versuum collocata et substantivum ipsum in versu, qui sequitur, cum praepositiones raro extremum versuum locum habeant.[1] Deinde id quoque commemoratione dignum videtur de eis tantum locis sermonem esse, in quibus praepositiones ante substantiva collocantur.[2]

Quamquam autem exstant loci non pauci, quibus Aeschylus Sophocles Euripides verba quaedam interposuerunt inter praepositiones et substantiva, tamen videmus eos hac libertate non usos esse sine legibus atque artioribus illis quidem, quam Homerus utitur,[3] cuius in carminibus praepositiones cum magis adverbiorum vim habeant, non tam arte cum substantivis cohaerent. Etiam Pindarus hac in re maiorem libertatem sibi assumpsit.[4]

Atque in universum quidem id notandum est, apud Sophoclem et Euripidem saepius verba inter praepositiones et substantiva interposita esse, rarius apud Aeschylum et apud hunc quidem saepissime in Eumenidibus, rarissime in Supplicibus, in qua fabula duos tantum locos inveni, 610 *ξὺν τ᾽ ἀσυλίᾳ βροτῶν*[5] et 975 *σύν τ᾽ εὐκλείᾳ*. Inter Sophoclem et Euripidem singulasque eorum fabulas discrimen hac in re statuendum non videtur.

Atque verba quidem, quae intercedunt inter praepositiones et substantiva, plerumque particulae sunt, quibus quae ratio intercedat inter singula enuntiata indicatur. Ubi alia verba interposita inveniuntur, aut non sine causa usurpatam esse illam collocationem aut excusationem habere, ostendam.

Particulae igitur, quas Aeschylus inter praepositiones et substantiva collocavit, plerumque *δέ* et *τέ* sunt, rarius *γέ, γάρ, μέν*. Alias coniunctiones vel particulas non interposuit. Uno tamen loco, Eum. 845 (et in antistropha 879) *ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαναιᾶν θεῶν* non solum particulam *γάρ*, sed etiam *μέ* inter praepositionem et substantivum

---

[1]) de qua re vide infra pag. 13 et 14 sq.

[2]) de anastropha vide infra pag. 16 sqq.

[3]) cf. Krügerum l. c. II, 68, 5, 5.

[4]) cf. Piersonum in mus. Rhen. 1857, pag. 379.

[5]) Numeris utor ubique Dindorfianis in poëtarum scenicorum Graecorum editione quinta, Lipsiae 1869.

collocatum esse videmus, quam collocationem excusationem habere puto primum, cum praepositio in initio enuntiati sit posita, qua re vis eius augetur. Quam legem in plerisque exemplis, quibus praepositio remota est a substantivo, observare licet, neque vero semper, quod God. Hermannus recte monuit.[1] Porsonum enim dicit erravisse, cum putaret copulam encliticam *τέ* nunquam post praepositionem inferri, nisi ea sententiam inchoaret. Fortasse Porsonus ad hanc opinionem adductus est ea re, quod interpositis *δέ* et *γάρ* praepositio primum enuntiati locum habet.[2] Ad illos locos vero, quibus praepositio enuntiatum non incipit, quos omnes enumerare longum est (quamquam apud Aeschylum rarius inveniuntur), si animum adverterimus, videbimus poëtas tragicos sensisse, si praepositio enuntiatum non inchoaret, paullo difficilius cognosci posse, ad quod verbum esset referenda, eamque ob causam his locis nunquam duas voces interposuisse.

Sed ut ad locum, quem tractamus, revertamur, Aeschylus consulto verba *μέ* et *τιμᾶν δαναιᾶν* mihi videtur coniunxisse, ut quam potuit manifestissime oppositionem horum verborum exprimeret iramque Furiarum, quae tanta potentia ornatae tantum detrimentum caperent, magis describeret atque quasi depingeret.

S o p h o c l e s hac in re non tam artos fines sibi constituit, quam Aeschylus. Particulae enim, quae apud eum interpositae sunt inter praepositiones et substantiva, plerumque sunt *γάρ, γέ, δέ, τέ,* rarius *μέν, οὖν, νύν, τοί.* Praeterea vero, id quod apud Aeschylum nusquam invenitur, nonnullis locis duas particulas inter praepositiones et substantiva inseruit, ita tamen, ut haec collocatio semper aliquam excusationem habeat. Loci enim sunt hi:

Aias 527 *καὶ κάρτ' ἐπαίνου τεύξεται πρὸς γοῦν ἐμοῦ.* Hoc loco

---

1) ad Eur. Or. v. 882.

2) Quod Hermannus l. c. addit particulam *τέ* tum solum post praepositionem collocari posse, si ea praecedat substantivum, neque vero postposita post nomen praepositione, ut dici possit exempli causa *ὑπό τε ῥιπῇ* vel *ῥιπῇ θ' ὕπο,* neque vero *ῥιπῇ ὕπο τε,* id quidem recte se habet, sed cur hanc collocationem grammatica ratio non permittat, non dixit. Causa enim videtur inde repetenda esse, quod *τέ* ei verbo, ad quod refertur, postponitur, exceptis eis locis, quibus post articulum vel praepositionem positum ad substantivum, quod sequitur, referendum est. In collocatione autem *ῥιπῇ ὕπο τε* verbum *τέ* ad vocem *ὕπο* solum referri potest, neque vero ad *ῥιπῇ,* a quo seiunctum est. Accedit etiam id, quod praepositio nomini suo postposita semper fere extremum versus locum habet (cf. infra p. 19 sqq.), ut si illam collocationem admitteremus, verbum *τέ* in initio versus qui sequitur collocaretur necesse esset, quam collocationem nullo modo ferri posse nemo non intelleget.

γέ et *οὖν* fere in unam particulam coaluerunt, ut plerumque ita scribatur quoque, et singulorum verborum significatio vix sentiatur. Praeterea vocabulum *ἐμοῦ* in fine enuntiati et versus positum maiorem vim habet, ut eis, qui spectabant, facilius esset cognitu hoc verbum ad praepositionem *πρός* esse referendum. — Ant. 150 *ἐκ μὲν δὴ πολέμων τῶν νῦν θέσθε λησμοσύναν.* Hoc loco praepositio *ἐκ* maiorem vim habet, cum in initio enuntiati et in arsi posita sit. Praepositiones enim monosyllabae, quae multo saepius a substantivis remotae inveniuntur, quam quae duas syllabas continent, semper fere ita collocatae sunt, ut ictum habeant. Quod ut fieret, in trimetris iam ea de re plerumque necesse erat, cum ipsae positione longae essent particulis omnibus fere a consonante incipientibus, et syllaba brevis sequeretur. Quo factum est, ut ei qui spectabant, si substantivum audiebant, facilius praepositionis meminissent. — Oed. Rex 137 *ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ.* Hoc loco praepositio *ὑπέρ* in initio enuntiati et versus et verba *τῶν ἀπωτέρω φίλων* in fine enuntiati et versus exstant, ut hac collocatione maiorem vim poëta tribuat utrique membro, et verba, quae interposita sunt, *γὰρ οὐχί* multo minorem vim habeant, quare facile intellegebatur, ad quae verba *ὑπέρ* sit referendum. Praeterea verborum *τῶν ἀπωτέρω φίλων* vis etiam ea re augetur, quod opponuntur verbo *αὑτοῦ.* Huc accedit, quod verba *οὐχὶ τῶν ἐμῶν φίλων, ἀλλ'* posita sunt *διὰ μέσου.* — Oed. Rex 1112 *ἔν τε γὰρ μακρῷ | γήρᾳ.* Praepositioni maior vis tribuitur, cum et in initio enuntiati et in arsi, et verbo *μακρῷ,* cum in fine versus positum sit, eamque ob rem multo magis audiebantur hae voces quam interpositae *τε γάρ,* praesertim cum *τέ* encliticum esset. — Eandem excusationem collocatio praepositionis hoc loco habet Trach. 308 *πρὸς μὲν γὰρ φύσιν,* quamquam particulae interpositae non sunt encliticae.

Audacius vero quam locis modo allatis Sophocles praepositionem collocavit Ai. 155 *κατὰ δ' ἄν τις ἐμοῦ.* Neque enim solum duas particulas interposuit, sed etiam pronomen *τὶς.* Tamen etiam hanc collocationem habere, quo excusetur, puto, cum particula *δέ* elisionem quae dicitur passa sit, ut duae tantum syllabae praepositionem a pronomine *ἐμοῦ* seiungant, ut ceteris locis modo allatis (Oed. Rex 137 vel tres syllabae interpositae sunt). Deinde verbum *τὶς* multo minorem vim habet, cum encliticum sit; praepositio vero et nomen ipsum eis rebus, sicut ceteris locis, insigniora et graviora fiunt, quod *κατά* primum locum enuntiati obtinet, *ἐμοῦ* ultimum locum versus obtinere videtur (quam-

quam de ea re certi nihil scimus in anapaestis) et praeterea opponitur verbo *σοῖς* (sc. Aiacis) in versu 153, ut maxima totius enuntiati vis in hoc ipso verbo posita sit, quod etiam ex versu qui sequitur apparet. Itaque et is qui recitat et ei qui audiunt per verba levia *δ' ἄν τις* tamquam festinant ad verbum *ἐμοῦ,* quod maxima vi pronuntiatum putandum est.

Euripides vero quas particulas inter praepositiones et substantiva interposuerit, si quaerimus, plerumque invenimus *δέ* et *τέ,* rarius *γάρ, γέ. μέν, τοί,* uno loco (Iph. Aul. 882) *ἄρα*, sed eliso altero *α*. Duas particulas rarius apud Euripidem interpositas invenimus, si numerum fabularum respicimus, quam apud Sophoclem. Etiam Euripides non temere duas particulas interiecit, sed ita, ut omnibus locis excusationem habeat illa collocatio, cum praepositionum maior vis sit in initio versuum vel enuntiationum et in arsi collocatarum substantivorumque in fine versuum vel enuntiationum positorum, qua re fit, ut particulae interpositae magis amittant vim, praesertim cum compluribus locis altera particularum enclitica vel elisionem passa sit. Sunt autem loci hi: Troad. 770 *ἔκ τε γὰρ θεῶν | διολλύμεσθα.* 993 *ἐν μὲν γὰρ Ἄργει.* Suppl. 95 *ἔκ τε γὰρ γερασμίων | ὄσσων.* 553 *πρός τε γὰρ τοῦ δυστυχοῦς.* Ion. 1173 *ἔκ τε γὰρ κρωσσῶν.* Hel. 1650 *ἐς μὲν γὰρ ἀεί.* El. 29 *ἐς μὲν γὰρ ἄνδρα.* Iph. Taur. 578 *ἐς γὰρ δή τιν' ἥκομεν λόγον.* Fragm. 220, 2 *εἴς τ' αὖ πόλεμον.*

Nonnunquam etiam alia verba Euripides inter praepositiones et substantiva interposuit, quae cum substantivis artissime cohaerere et paene in unam vocem coalescere[1] vellet. Ita particulae negativae *οὐ* et *μή* inter praepositiones et substantiva collocatae sunt Andr. 211 *πλουτεῖς δ' ἐν οὐ πλουτοῦσι,* ubi ne potuit quidem dicere Euripides: *πλουτεῖς δ' οὐκ ἐν πλουτοῦσι,* quod aliam sententiam efficiebat. Or. 30 *πρὸς οὐχ ἅπαντας εὔκλειαν φέρον.* ib. 579 *ἐν οὐ καλῷ μὲν ἐμνήσθην θεῶν.* Hel 433 *ἐκ δὲ μὴ 'χόντων βίον,* ubi aliter dicere non potuit Euripides, et, cum verba *μὴ ἐχόντων* unam notionem efficiant, satis excusatur haec collocatio. Postremo Bacch. 1288 *ὡς ἐν οὐ καιρῷ πάρει.* Utrum Euripides, si per metrum licuisset, *οὐκ ἐν καιρῷ* scripsisset, quod Elmsleius ad hunc locum annotat, an non scripsisset, certe diiudicari non potest, cum etiam aliis locis, quos attuli, metrum collocationem usitatam non

[1]) cf. Elmsleii annotationem ad Eur. Bacch. v. 1288.

permittat. Ceterum tali quaestione nihil profici Hauptius recte iudicasse videtur, cum dicit[1]: „. . . . . Hoc tantum adiicimus in his quoque similibusque dicendi formulis (loquitur autem de collocatione ἐπ' αὐτὸς αὐτοῦ et sim.) animum non nimis advertendum esse ad metrorum necessitatem, quasi boni poëtae elegantiam versuum cum sermonis elegantia coniungere nescivering, aut scriptores propter orationis concinnitatem nunquam similia ausi sint."

Similis est locus Heracl. 369 παρά γ' εὖ φρονοῦσιν, ubi verba εὖ φρονοῦσιν unius verbi εὐφρονοῦσιν sensum praebent.

Alia vocabula Euripides raro interposuit inter praepositiones et substantiva. Ita Troad. 511 ἀμφί μοι Ἴλιον, ὦ Μοῦσα, καινῶν ὕμνων ἄεισον ἐν δακρύοις ᾠδὰν ἐπικήδειον. Qua collocatione Euripides ad similitudinem carminum epicorum usus esse videtur. Neque enim modo constructionem ἀμφί τι ἀείδειν invenimus in hymnis, qui dicuntur, quod iam Piersonus animadvertit,[2] sed etiam eandem collocationem in hymno Homerico in Pana v. 1: Ἀμφί μοι Ἑρμείαο φίλον γόνον ἔννεπε, Μοῦσα. — Deinde Troad. 829 οἷον δ' ὑπὲρ οἰωνὸς τεκέων βοᾷ, quamquam haec collocatio non in codicibus nobis tradita est, sed ex coniectura Seidleri, quam Dindorfius recepit, oriunda.

Hi duo loci modo allati in carminibus a choro cantatis exstant. In dialogis vero Euripides modo particulas interposuit.

Atque si omnes eos locos, qui ad hanc quaestionem pertinent, contemplamur, et Aeschylum et Sophoclem et Euripidem operam dedisse videmus, ut praepositiones quam proxime ad substantiva apponerent. Particulae enim, quae plerumque interponuntur, δέ et τέ sunt (minus saepe γέ, quod in universum rarius usurpatur), quippe quae, cum levissimae sint, minimam gravitatem in oratione habeant et elisionem admittant, qua multis locis usi sunt Aeschylus et Sophocles, Euripides fere in dimidio omnium locorum, quibus δέ vel τέ interposuit.

In omnibus autem his locis adhuc tractatis si quaereremus rationem et causam, cur poëtae a collocatione magis usitata recessissent, nihil proficeremus, sed id concedere debemus hanc libertatem in collocandis praepositionibus ex linguae vetustioris et praecipue Homericae usu relictam a poëtis tragicis usurpatam esse, ubi eis placeret neque elegantia atque perspicuitas orationis minueretur. Nonnulli vero loci exstant, quibus

[1]) in indice lectionum Berol. hib. 1860 = opusc. II, 187.
[2]) in mus. Rhen. 1857 pag. 264.

causam cognoscere possumus, cur Aesch. Soph. Eur. ab usitato verborum ordine recesserint. Si enim verba duo inter se opposita vel paria vel similia nullo alio verbo interiecto ponuntur, oppositio vel accumulatio, ut hoc verbo utar, clarior fit et oratio multo magis vivida, ut non sit cur miremur, quod hac figura rhetorica poëtae scenici persaepe usi sunt, ut noto illo loco Aeschyleo Pers. 1041 *δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς* vel illo loco Sophocleo, Ai. 522 *χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί*, quorum locorum in priore verbis *κακὰν κακῶν κακοῖς* maxima vis atque moles malorum exprimitur, in altero *χάρις* et *χάριν* eam ob causam collocatione coniungi apparet, ut oppositio clarior fiat faciliusque cognoscatur. Plura exempla sexcenties editores ad singulos locos collegerunt, ex fabulis Euripideis multa attulit C. Rieck.[1] Quam ob rem mirum non est, eadem de causa praepositiones a substantivis remotas esse, praesertim cum ab Homero talem collocationem sibi traditam[2] eisque, qui spectabant, non ignotam esse scirent. Ex exemplis, quae ad hanc rem spectant, haec attulisse satis videtur: Aesch. Prom. 276 *πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον*. Eur. Herc. fur. 1271 *ποίους πρὸς ἢ λέοντας ἢ τρισωμάτους | Τυφῶνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρασκελεῖς | κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα;*[3] Hoc loco verbum *ἤ* concinnitatis causa videtur interpositum esse, ut eandem collocationem habeat in primo membro, quam in ceteris, et ut clarius cognoscatur praepositionem *πρός* non solum ad primum membrum, sed eodem modo ad omnia membra esse referendam. Deinde Eur. Phoen. 371 *ἀλλ' ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος αὖ σε δέρκομαι | ἔχουσαν* pro *ἐξ ἄλγους γὰρ ἄλγος*, ut verba *ἄλγους* et *ἄλγος* artius coniungantur oppositionis causa. Eadem res est Heracl. 611 *παρὰ δ' ἄλλαν ἄλλα μοῖρα διώκει*.

Videmus autem etiam his locis praepositiones quam proxime ad substantiva appositas esse, quantum quidem per figuram rhetoricam fieri potuit.

Hac de causa etiam pronomen *αὐτός* nonnunquam inter praepositiones et pronomen reflexivum *αὑτοῦ* etc. interpositum est. Etiam ei loci, quibus pronomen *αὐτός* inter articulum et pronomen reflexivum intercedit, quamquam non pertinent ad quaestionem, quam tractamus, tamen, cum ratio plane eadem sit, et ipsi hic videntur afferendi. Multa

---

[1]) De proprietatibus quibusdam sermonis Euripidei, diss. inaug. Hal. 1877 pag. 13 sq.

[2]) cf. Kühnerum l. c. II, 1 pag. 480 c.

[3]) *πρός* Hartungius et Dindorfius scribunt pro *ποτ'*.

eiusmodi exempla collegit Hauptius[1] ex poëtis et Graecorum et Romanorum, ubi aut praepositio aut articulus hoc modo a substantivo seiungitur. Atque in universum id notandum est, hunc verborum ordinem saepius apud Aeschylum, quam apud Sophoclem, nunquam apud Euripidem inveniri, quamquam aliis in rebus hic usitatum verborum ordinem saepius mutare solet, quam Aeschylus et Sophocles, hic saepius quam Aeschylus. Praepositionis enim hoc modo seiunctae a pronomine reflexivo duo tantum exempla apud Aeschylum exstant, apud Sophoclem[2] et Euripidem nulla, articuli seiuncti pauca exempla apud Aeschylum et Sophoclem, nulla apud Euripidem exstant. Neque vero, quod etiam Hauptius dixit, putandum est, poëtas sola metri necessitate coactos eo modo verba collocasse, cum etiam in oratione soluta huius collocationis exempla exstent et ex nonnullis exemplis in poëtarum scriptis eluceat, ordinem usitatum per metrum admitti potuisse. Aeschylus vel omnibus locis, ubi metro non impediebatur, illo, quem supra dixi, modo verba collocavit, quamquam tria tantum exempla relinquuntur, Prom. 762 *πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ*. 921 *ἐπ' αὐτὸς αὑτῷ*. Ag. 836 *τοῖς τ' αὐτὸς αὑτοῦ*. Aliis enim locis per metrum et hiatum hoc verborum ordine uti non poterat, Sept. 194 *αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν*, ib. 406 *καὐτοὶ καθ' αὑτούς*. Pers. 415 *αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν*, Prom. 1013 *αὐτὴ καθ' αὑτήν*. Neque enim dicere poterat *ὑπὸ δ' αὐτοὶ αὑτῶν*, cum anapaestus in primo trimetri pede nonnisi ex uno verbo constare[3] et tertia versus syllaba produci non posset. Ita tres illi loci relinquuntur.

Apud Sophoclem et Euripidem complura exempla exstant, quibus praepositio vel articulus quamquam seiungi poterat, tamen locum usitatum obtinet; qui loci hi sunt: Ai. 906 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ* (ubi Lobeckius similes locos affert). Ant. 1177 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ*. Oed. Rex 227 *αὐτὸς καθ' αὑτοῦ*, fragm. 779, 7 *αὐτὸς παρ' αὑτοῦ*. Eur. Suppl. 432 *αὐτὸς παρ' αὑτῷ*, Herc. fur. 961 *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ*. Aliis locis per hiatum et metrum non licebat communem verborum collocationem mutare, Soph. Oed. Rex 1237 *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς*, El. 285 *αὐτὴ πρὸς αὑτήν*, Trach. 891 *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς*, ib. 1132 *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς*. Eur. Med. 31 *αὐτὴ πρὸς*

---

[1]) in indice lectionum Berol. hib. 1860 = opusc. II, 184 sqq.

[2]) nam locus Oed. Rex 138 *ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ* (sc. *ὑπέρ*, quod ex priore versu supplendum est) vix afferendus videtur, cum praepositio mente supplenda sit.

[3]) cf. C. Fr. Müller de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Berol. 1866, pag. 119—121.

αὐτήν. Hipp. 397 *αὐτὴ δ' ὑφ' αὑτῆς.* Andr. 1143 *αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν.*[1] Heracl. 143 *αὐτοὶ καθ' αὑτῶν.* Ion. 610 *αὐτὴ καθ' αὑτήν*, fragm. 611, 3 *αὐτοὶ δι' αὑτούς* Per metrum non licuit praepositionem seiungere Iph. Aul. 811 *αὐτὸς ὑπὲρ αὑτοῦ,* qui locus a Dindorfio pro interpolato habetur et interpolationis speciem etiam ea re praebet, quod haec verba, de quibus agimus, semper in initio versuum inveniuntur (nam Aesch. Sept. 406 *καὐτὸς καθ' αὑτοῦ* res fere non alia est).

Praepositionem igitur ostendi in hac figura non seiungi apud Sophoclem et Euripidem. Contra articuli seiuncti nonnulla exempla Sophocles praebet. Ai. 1132 *τούς γ' αὐτὸς αὑτοῦ πολεμίους.* Oed. Col. 930 *πόλιν | τὴν αὐτὸς αὑτοῦ,* ib. 1359 *τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα.* Hoc loco Sophocles etiam usitata verborum collocatione uti poterat, prioribus duobus locis per metrum non licuit.

Postremo id addam, hanc figuram solum in dialogo, non in partibus lyricis fabularum inveniri.

Deinde de altera quadam figura, qua praepositiones a substantivis seiunguntur, pauca dicenda videntur. In formulis enim iurandi praepositio *πρός* saepe a substantivis removetur verbo aliquo interiecto, plerumque pronomine *σέ,* quod his locis semper encliticum est, ut hoc ordine verborum plane inusitato magis vivida atque vehementior oratio fiat.[2] Aliam enim huius rei causam non video. — Nonnulla huius usus exempla attulerunt Valckenarius,[3] Nauckius,[4] Kühnerus,[5] Krügerus[6] alii.

Atque primum quidem id praemonendum est, apud Aeschylum hanc figuram nunquam inveniri neque in Sophoclis Antigona. Euripidis pleraeque fabulae exempla praebent, Rhesus non praebet.

Sophocles igitur, ubi praepositio *πρός* enuntiatum incipit et *σέ* appositum est, hoc pronomen plerumque interposuit inter *πρός* et substantivum, ut Oed. Col. 250 *πρός σ' ὅ τι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι* (ubi verba *ὅ τι σοι φίλον* substantivi instar sunt). In Trachiniarum

---

[1]) Cur Dindorfius et Hartungius hoc loco *αὐτῶν*, quod libris traditum est, non Is. Vossium et Nauckium secuti in *αὑτῶν* mutaverint, non video, cum Dindorfius ipse Soph. Oed. Rex 227 scripturam codicum *αὐτῶν* in *αὑτῶν* mutaverit. Cf. Elmsl. ad Eur. Heracl. 144 et ad Bacch. 722.

[2]) cf. Kühnerum l. c. II, 1, pag. 480 c.

[3]) ad Eur. Phoen. v. 1659 et Hipp. v. 606.

[4]) ad Soph. Oed. Col. 1333.

[5]) l. c. II, 1, pag. 480 c.

[6]) l. c. II, 68, 5, 2.

versu 436 *μή πρός σε τοῦ κατ' ἄκρον Οἰταῖον νάπος | Διὸς καταστράπτοντος,* quamquam praepositio non primam enuntiati sedem habet, tamen cum in arsi posita sit, haec collocatio nihil molesti habet, etiamsi aliis locis, quibus eandem collocationem in arsi habet praepositio, *σέ* non interpositum est, ut Ai. 587 *καί σε πρὸς τοῦ σοῦ τέκνου | καὶ θεῶν ἱκνοῦμαι.* Saepius ut El. 428 *πρός νυν θεῶν σε λίσσομαι* et ib. 889 *πρός νυν θεῶν ἄκουσον* non *σέ,* sed *νύν* interpositum est et interdum duo haec verba intercedunt inter praepositionem et substantivum, ut Oed. Col. 1333 *πρός νύν σε κρηνῶν καὶ θεῶν* et Phil. 468 *πρός νύν σε πατρός* etc., ubi praepositio cum enuntiatum et versum incipiat, satis magnam vim habet, ut in hac seiunctione nihil molesti insit. Plerisque locis autem omisso pronomine *σέ* tantum exclamatio *πρὸς θεῶν* invenitur.[1]

Euripides non multum discedit ab usu Sophocleo in hac formula. Ubi *σέ* appositum est, plerumque inter praepositionem et substantivum locum habet, ut Alc. 275 *μή πρός σε θεῶν τλῇς με προδοῦναι.* ib. 1098 *μή πρός σε τοῦ σπείραντος ἄντομαι Διός.* Praeterea Med. 324, Hipp 605, 607. Andr. 89?. Troad. 1042. Phoen. 923, 1665. Suppl. 277 (si Marklandi scripturam sequimur). Iph. Taur. 1068. Iph. Aul. 1233 (secundum Marklandi emendationem, qui scripsit *σέ* pro *γέ*). Rarius *σέ* ante praepositionem vel post substantivum invenitur, Med. 853 *πρὸς γονάτων σε πάντες πάντως ἱκετεύομεν.* Hipp. 311. Hec. 1127. Heracl. 226 sq. Iph. Aul. 909. fragm. 118 etc. Uno loco, Hel. 1237 *νύν σε* interpositum est, *πρός νύν σε γονάτων τῶνδ'* (sic Schäferus, quem alii editores sequuntur, pro *νῦν*), ubi eodem modo quo apud Sophoclem praepositio in initio versus et enuntiati posita est.

§ 2.

De praepositionibus inter substantivum et attributum positis.

Praepositionum, quae inter substantiva et attributa, sive adiectiva sive genetivos, positae sunt, nonnulla exempla Krügerus[2] affert.

Huius collocationis apud Aeschylum Sophoclem Euripidem permulta exempla exstant, legesque fere nullas sibi constituerunt nostri. Inveniuntur enim omnes praepositiones ita positae, apud omnes casus, qui dependent ab eis, in omnibus versuum locis, in omnibus fabularum

[1]) cf. Dindorfii lexicon Sophocleum s. v. *πρός*, qui omnes hos locos enumerat.

[2]) l. c. II, 68, 4, 4 et 7.

partibus, et in dialogis et in carminibus cantatis. Tamen pauca videntur addenda de his rebus:

Genetivus vel adiectivum praecedere solet praepositionem, substantivum sequi, ut statim Aesch. Prom. 1 *Χθονὸς μὲν ἐς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον*. Soph. Ai. 175 *πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας*. Eur. Alc. 7 *θνητῷ παρ' ἀνδρί*. Rariores sunt loci, quibus substantivum ante praepositionem, adiectivum post praepositionem positum est, ut Aesch. Prom. 398 *σταθμοῖς ἐν οἰκείοισι*. Soph. Ant. 131 *βαλβίδων ἐπ' ἄκρων*. Eur. Alc. 375 *χειρὸς ἐξ ἐμῆς*. Multo vero rarius, quam adiectivum invenitur genetivus post praepositionem collocatus.[1] Cuius usus exempla haec fere sunt: Aesch. Prom. 653 *ποίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρός*. Sept. 185 *βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν*. Pers. 624 *θαλάμους ὑπὸ γᾶς*. Videtur igitur Aeschylus, quantum quidem ex fabulis superstitibus cognosci potest, illam collocationem in posterioribus fabulis evitavisse, cum in Orestia nullum exemplum exstet. Sophocles unum huius collocationis exemplum praebere videtur, Oed. Col. 126 *ἄλσος ἐς τᾶνδ' ἀμαιμακετᾶν κορᾶν*. Ex Euripidis fabulis haec exempla notavi: Alc. 85 *πόσιν εἰς αὑτῆς*. Med. 487. Hipp. 149. Andr. 401. Troad. 954. Or. 94. Phoen. 24. Suppl. 271, 364. Heracl. 512. Herc. fur. 1004. Ion. 303, 1242. El. 17. Iph. Taur. 1014, 1460. fragm. 775, 31. Rhesus vero hac in re longe recedit ab usu dicendi Euripideo, in quo quidem inveniuntur octo huiusmodi exempla; sex enim locis, vv. 150, 155, 203, 221, 502, 598, verba exstant *ναῦς ἐπ' Ἀργείων*, praeterea v. 471 *γῆν ἐπ' Ἀργείων* et 660 *εὐνὰς ἦλυθον πρὸς Ἕκτορος*. In omnibus autem his Rhesi locis genetivus postpositus nomen proprium est, quod etiam in multis aliis locis videmus, qui genetivum post praepositionem praebent.

Interponuntur autem verba inter praepositionem et verbum, quod praecedit praepositionem, plerumque eis locis, quibus adiectivum vel genetivus praecedit praepositionem, substantivum sequitur. Verba, quae interponuntur, non solum particulae, ut *μέν, γάρ, δέ* sunt, sed multis locis complura verba, ut adiectivum vel genetivus longiore intervallo distet a substantivo, ut Aesch. Prom. 579 *τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοσύναις*. Eur. Ion. 229 *δόμων μὴ πάριτ' ἐς*

[1]) Recte Krügerus l. c. II, 68, 4, 7 dicit, hunc verborum ordinem diversum esse ab anastropha, quae nominatur, ubi genetivus non dependet a substantivo ante praepositionem collocato, cum videamus, illas leges, quae in anastropha valeant (cf. infra pag. 16 sqq.), ad haec exempla omnino non pertinere.

μυχόν. Rarius verba interponuntur ante praepositionem, si praecedit substantivum, sequitur adiectivum, ut Aesch. Prom. 1059 *τόπων μετά που χωρεῖτ' ἐκ τῶνδε.* Eur. Andr. 749 *λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους.* Genetivo posito post praepositionem nunquam complura verba interponuntur ante praepositionem, sed aut particulae, ut Aesch. Prom. 653 *ποίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρός,* Eur. Hipp. 149 *χέρσον θ' ὑπὲρ πελάγους,* Ion. 303 *καρποῦ δ' ὑπὲρ γῆς,* fragm. 775, 31 *πηγαῖς τ' ἐπ' Ὠκεανοῦ,* aut singula alia verba, Aesch. Sept. 185 *βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν.* Eur. Rhes. 660 *εὐνὰς ἦλυθον πρὸς Ἕκτορος.* Or. 94 *βούλει τάφον μοι πρὸς κασιγνήτης μολεῖν.*

Haec sunt exempla, quibus ante praepositionem verba quaedam interposita sunt; post praepositionem vero perraro verba interponuntur. Apud Aeschylum nulla eiusmodi exempla exstare videntur, apud Sophoclem unum: Oed. Rex 455 *ξένην ἐπὶ | σκήπτρῳ προδεικνὺς γαῖαν,* apud Euripidem Hec. 197 *τᾶς σᾶς περί μοι ψυχᾶς* (Hartungius metrica ratione commotus: *περὶ σᾶς μοι ψυχᾶς*). Ion. 262 *γενναίων τ' ἀπὸ | τραφεῖσα πατέρων.* Hoc loco praepositio a substantivo non modo interiecto verbo *τραφεῖσα,* sed etiam fine versus seiungitur, ut loco Sophocleo. Verbum *γενναίων* autem maximam vim enuntiati habet et concinnitatis causa propter verbum *κλεινόν* videtur hunc locum habere, verbo *πατέρων* sine ulla gravitate postposito, ut, si omissum esset, nihil desideraremus. Puto igitur hac re praepositionis collocationem satis excusatam esse, Sophoclem vero in fine versuum tractando constat multa ausum esse, quae alibi non inveniantur. Eur. Fragm. 740, 4 *κατ' ἔναυλ' ὀρέων ἀβάτους ἐπί τε λειμῶνας.* Hic locus sanus esse non potest, nam et *ἀβάτους λειμῶνας* sensum idoneum non praebet et ordo verborum *ἀβάτους ἐπί τε* admitti non potest, dicendum enim erat aut *ἀβάτους τε ἐπί* aut *ἐπὶ ἀβάτους τε* aut *ἐπί τε ἀβάτους.*[1] Relinquuntur igitur duo exempla, quae attuli, certa, Soph. Oed. Rex 455 et Eur. Jon. 262.

Quod vero supra dixi praepositionem, quae inter attributum et substantivum intercedat, omnibus versuum locis poni posse, pauca videntur addenda esse. Constat enim in versibus recitandis inter singulos trimetros pausam aliquam factam esse, ut ei, qui spectabant, naturam versuum melius intellegere possent. Quo fit, ut duo verba, quorum alterum in fine versus, alterum in proximi initio sit positum, non tam

---

[1]) vide pag. 3 annot. 2.

arte cohaereant, quam si in uno versu posita essent. Itaque Aeschylum Sophoclem Euripidem, ubi praepositiones in eis, quos dixi, locis collocaverunt, diligentiores fuisse videmus.

Atque in initio quidem versuum his fere locis collocata est praepositio. Aesch. Eum. 194 *οὐ χρηστηρίοις* | *ἐν τοῖςδε πλησίοισι.* Soph. Ant. 170 *μίαν* | *καθ' ἡμέραν.* Oed. Col. 263. Trach. 270. Eur. Troad. 1002 *σοῦ* | *κατ' ἴχνος.* Phoen. 194. Suppl. 1191. Heracl. 303. Hel. 982. In omnibus igitur his locis verba non interposita sunt, ne intervallum, quod efficitur fine versuum, maius fiat.

Saepius, praesertim apud Sophoclem, invenimus praepositionem in fine versuum positam, cuius collocationis haec fere exempla sunt. Aesch. Pers. 460 *τοξικῆς τ' ἀπὸ* | *θώμιγγος.* Ag. 1037 *πολλῶν μετὰ* | *δούλων.* Soph. Ai. 720 *Μυσίων ἀπὸ* | *κρημνῶν,* ib. 1311 *τῆς σῆς ὑπὲρ* | *γυναικός.* Oed. Col. 312 *Αἰτναίας ἐπὶ* | *πώλου,* ib. 737 *ἀνδρῶν ὑπὸ* | *πάντων,* Trach. 539 *μιᾶς ὑπὸ* | *χλαίνης.* Locus vero Ant. 189 *ταύτης ἔπι* | *πλέοντες ὀρθῆς,* ad haec exempla non pertinet, cum *ὀρθῆς* praedicative, quod nominatur, dictum sit. Deinde Eur. Alc. 66 *Εὐρυσθέως πέμψαντος ἵππειον μετὰ* | *ὄχημα.*[1] Andr. 149 *Πηλέως ἀπὸ* | *δόμων,* ib. 887 *ξυγγενοῦς μαθεῖν περὶ* | *γυναικός.* El. 6 *ὑψηλῶν δ' ἐπὶ* | *ναῶν.* Iph. Aul. 420 *εὔρυτον παρὰ* | *κρήνην.* fragm. 623, 1 *Διὸς αἴτε παρὰ* | *θρόνον.*[2] Videmus igitur Sophoclem pro numero fabularum plura exempla praebere quam Aeschylum et Euripidem, quod non est cur miremur, cum etiam aliis in rebus maiore libertate in versuum fine tractando usus sit. Saepe enim posuit verba, quae certe cohaerent cum verbis, quae sequuntur, vel per se stare non possunt, in fine trimetrorum, ita ut post haec verba pausa in recitando fieret. Quod paucis hic demonstrare mihi liceat.

Quatuor locis articulum in fine versuum invenimus Ant. 409 *τὸν* | *νέκυν.* Oed. Col. 351 *τῆς* | *οἴκοι διαίτης.* El. 879 *κἀπὶ τοῖς* | *σαυτῆς κακοῖσι.* Phil. 263 *οἱ* | *δισσοὶ στρατηγοί.*[3] Apud Aeschylum et Euripidem nullum huiusmodi exemplum invenitur. — Deinde elisionem, qua re verbum quoddam arte coniungitur cum eo quod sequitur, Sophocles saepius in fine versuum admisit. Exempla Nauckius[4] enumeravit.

[1]) Hartungius ad Phoen. v. 1263 (suae editionis) *μετά* per tmesin dictum esse putat, sed simplicius eo, quo dixi, modo locum explicare possumus.

[2]) De locis Soph. Oed. Reg. 455 et Eur. Ion. 262 vide supra pag. 12.

[3]) vide Nauckii annotationes ad hos locos.

[4]) ad Oed. Col. v. 29.

Apud Aeschylum et Euripidem hoc non invenitur.[1] — Praeterea coniunctiones ὅτι, ὅπως, ὡς, ἐπεί etc. vel pronomina relativa artius cohaerent cum verbis quae sequuntur, cum per se aliis verbis non appositis nullam vim habeant. Atque Aeschyli fabulas si perlustramus, invenimus in Prometheo saepius illa, quae nominavi, verba in fine versuum collocata, 104, 259, 323, 328, 341, 377, 463, 470, 725, 793, 951, 989, in aliis vero fabulis perraro, Pers. 486 οὗ, Ag. 1354 ὡς, Eum. 98 ὅτι, ib. 131 ἅπερ. Etiam Euripides talia verba raro in fine versuum posuit, Rhes. 620, Med. 322, 560, Troad. 1008, Or. 1161, Phoen. 1318, Suppl. 594. Heracl. 420, 427, 567, 582, 1051. Herc. fur. 77, 186. Iph. Taur. 475, 951. Cycl. 421. fragm. 738, 1. 809, 8. 945, in fragm. spur. 1117, 20.[2] Apud Sophoclem vero talia exempla adeo multa sunt, ut omnia hic afferre longum sit. Verbi ὅτι in fine versuum collocati exempla collegit Ellendtius,[3] quamquam iniuria his addidit exempla, quibus ὅτι non incipiat enuntiatum, sed ad verba, quae praecedunt, se applicet. Etiam καί quatuor locis, quos Nauckius[4] collegit, Sophocles in fine versuum collocavit, neque vero Aeschylus et Euripides. — Deinde etiam inter proclitica, quae artissime cum verbis, quae sequuntur, cohaerent, saepius οὐ in fine versuum posuerunt Aesch. Soph. Eur., plerumque vero ita, ut οὐ oppositionem faciat ob eamque causam maiorem vim habeat vel ita, ut οὐ in fine enuntiatorum positum sit; Sophocles autem complura exempla praebet, ubi hae duae res ad excusandam eam collocationem afferri non possunt, Ant. 5, 544. El. 1466. Trach. 90 (si Brunckii scripturam sequimur). Duobus vero locis, Ant. 544 et Trach. 90, verba μὴ οὐ coniunguntur, ut facilius haec collocatio ferri possit. Sicut proclitica in fine versuum collocata semper aliquid molesti habent, ita enclitica in initio versuum, cum ad verbum quod praecedit sese applicent.[5] — In hiatu tractando in fine versuum non puto discrimen ullum statuendum esse inter Aeschylum Sophoclem Euripidem. — Praepositiones etiam attributo non praecedente imprimis apud Sophoclem extremum versuum locum obtinent. Exempla sunt haec[6]: Oed. Reg. 555, Oed. Col.

---

[1]) Iph. Taur. v. 961 ab Elmsleio emendatus est.

[2]) Herc. fur. 511 non hoc loco afferendum est, cum verba οὐκ οἶδ' ὅτῳ unius verbi οὐδενί instar sint.

[3]) in lexico Sophocleo s. v. ὅτι. [4]) ad Oed. Regis versum 1234.

[5]) Exempla, quae perrraro exstant, Elmsleius collegit ad Eur. Heracl. v. 387.

[6]) quae etiam Nauckius affert ad singulos locos.

495, Phil. 626. Apud Euripidem hi loci occurrunt: Rhes. 756, El. 857. Vix puto Heracl. 90 hic iure afferri posse, cum trimeter inter metra lyrica insertus sit et in partibus lyricis tragoediarum de fine versuum plane aliter iudicari oporteat. In Aeschyli fabulis Ag. v. 1271 Hermannus pro *μετά,* quod sensum non praebet, iure *μέγα* scripsit. Idem iure etiam Eum. v. 238 praepositionem *πρός* videtur mutasse, cum et apud Euripidem et apud Sophoclem ipsum, ubicunque praepositio in fine versuum posita sit, incisionem in oratione aut paullo antea aut paullo post inveniri ad hunc locum annotaverit; quod hic factum non est. Nullum igitur apud Aeschylum exemplum relinquitur.

Quibus expositis effectum esse puto Sophoclem in fine versuum tractando multo minus diligentem fuisse quam Aeschylum et Euripidem. Neque vero puto certum tempus explorari posse, quo haec res minus accurate tractari ab eo coepta sit, ut Weilius vult,[1] cum Euripides, qui fere aequalis fuit Sophocli, in omnibus fabulis nihil eiusmodi habeat, et quo quaeque fabula tempore in scenam sit commissa, non certe sciamus. Id tantum statuere possumus, inter singulos poëtas, non inter diversa tempora in hac re discrimen inveniri.

Sed ut ad praepositiones, quae inter attributum et substantivum positae extremum versus locum obtinent, revertamur, verba post praepositionem ita ut in versus qui sequitur initio collocata sint, interponuntur illis duobus locis, de quibus iam supra dixi.[2] Ante praepositionem verba interposita his tantum locis invenimus: Eur. El. 6 *ὑψηλῶν δ' ἐπὶ | ναῶν* et fragm. 623, 1 *Διὸς αἴτε παρὰ | θρόνον,* ubi *ὑψηλῶν* et *Διός* cum primam enuntiati sedem teneant, maiorem vim habent, ut verbum, quod intercedit, minoris momenti sit.

Plerisque vero locis, ubi praepositio inter attributum et substantivum exstat, cur poëtae hunc ordinem verborum elegerint, quaerentes nihil proficimus, sed id tantum dicere possumus hanc collocationem esse licentiam poëticam, quae dicitur, quae etsi in oratione soluta raro obviam fit,[3] tamen a poëtis, ubicunque voluerint, usurpata sit. Nonnullis vero

---

[1]) ad Eur. Iph. Taur. v. 961: . . . . . Dans le cours de la guerre du Péloponnèse la méthode de déclamation a dû changer. Evidemment les acteurs se dégagèrent alors de la gravité un peu compassée, qui avait jusque là enchainé leur débit comme leur geste; ils commencèrent de mettre plus de naturel dans le dialogue à dissimuler les divisions métriques pour se rapprocher du langage ordinaire. Dans les plus anciennes pièces d'Euripide et de Sophocle on ne voit rien de pareil.

[2]) cf. supra pag. 12. [3]) cf. Krügerum l. c. I, 68, 4, 2.

locis causam intellegere possumus, cur Aesch. Soph. Eur. ab usitato verborum ordine recesserint. Volebant enim nonnunquam, id quod iam supra[1] animadvertimus, similia vel paria verba inter se opposita non seiungere praepositione vel alio verbo interposito, ut oppositio facilius perciperetur. Ad hanc rem comprobandam haec exempla sufficere videntur: Aesch. Sept. 6 *Ἐτεοκλέης ἂν πᾶσαν εἷς κατὰ πτόλιν | ὑμνοῖτο* pro ordine magis usitato *εἷς κατὰ πᾶσαν πτόλιν,* ne verba *εἷς* et *πᾶσαν* dirimerentur. Similiter eiusdem fabulae v. 451 *λέγ' ἄλλον ἄλλαις ἐν πύλαις εἰληχότα* pro *ἄλλον ἐν ἄλλαις πύλαις.* Ag. 1318 *ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνῃ* pro *γυνὴ ἀντὶ γυναικὸς ἐμοῦ.*[2] Soph. Ant. 55 594, 1066, 1266. Eur. Andr. 1195. Bacch. 179. fragm. 24, 1. Saepius etiam, ut verbum aliquod, quod maiorem vim haberet, insigni quodam, vel enuntiati vel versus loco ornarent, illa collocatio usurpata est. Soph. Oed. Reg. 712 *οὐκ ἐρῶ | Φοίβου γ' ἀπ' αὐτοῦ, τῶν δ' ὑπηρετῶν ἄπο.* Verbum *Φοίβου* primum versus locum tenet, cum verbis *τῶν δ' ὑπηρετῶν* opponatur. Eur. Med. 1255 *σᾶς γὰρ χρυσέας ἀπὸ γονᾶς* in *σᾶς* totus sententiarum nexus positus est, ut suo iure primo enuntiati loco ornatum sit. Similia inveniemus Andr. 623, 974. Herc. fur. 158. fragm. 76, 2. 122, 6.[3] 415, 2. 524, 3. Haec exempla sufficere videntur ad id, quod dixi, illustrandum.

De accentu praepositionum inter attributa et substantiva positarum, qua in re et inter veteres homines doctos dissensio fuit, neque editores recentiores video sibi constitisse, vide quae disseruerunt Göttlingius in libro, qui inscribitur: Allgemeine Lehre vom Accent der griechischen Sprache pag. 376—381 et Lehrsius, quaestiones epicae pag. 68—100.

§ 3.

De praepositionibus post substantiva collocatis.

Praepositionum, quae substantiva sequuntur, quam collocationem brevitatis causa anastrophen nominare mihi liceat, quamquam hoc verbum

---

[1]) vide pag. 7.

[2]) Quamquam *γυναικὸς* et *ἐμοῦ* non proprie attributum et substantivum sunt. Cur autem Krügerus l. c. II, 68, 6 annot. hanc collocationem insolitam nominet, non video, cum non alia sit, quam omnibus his, quos tractamus, locis.

[3]) Ad hunc versum, qui est Aristoph. Thesm. 1034, scholiasta adnotat: *καὶ τοῦτο ἐξ Ἀνδρομέδας.* Itaque Aristophanem hunc locum Euripideum ad verbum transscripsisse putandum est.

ad accentum solum pertinet, nonnulla exempla attulerunt Kühnerus[1] et Krügerus[2], accuratius de hac re disseruit Tycho Mommsen[3].

Apud Homerum anastrophe praepositionum saepe invenitur,[4] in comoedia raro praeter praepositionem *περί*.[5] Maxima libertate hac in re utitur Pindarus.[6] In oratione soluta raro invenitur, apud Atticos scriptores nunquam excepta praepositione *περί*, quae etiam verbis interpositis a substantivo seiungitur.[7]

Cur autem unoquoque loco anastrophes figura usurpata sit, indicari non potest, sed id tantum, quod de aliis praepositionum collocationibus iam dixi, quaerere possumus, quomodo hac figura usi sint Aesch. Soph. Eur., cum non sine ratione ac lege in hac re versati sint. Quae leges quales fuerint, illustrare conabor.

Atque ex praepositionum numero post substantiva collocantur haec: *ἀπό, διά, ἐπί, κατά, μετά, παρά, περί, ὑπέρ, ὑπό*, non inveniuntur *ἀμφί, ἀντί*,[8] *εἰς, ἐκ, ἐν, πρό*,[9] *πρός*,[10] *σύν*. Videmus igitur modo bisyllabas praepositiones post substantiva poni posse praeter *ἀμφί* et *ἀντί*, quae, cum priorem syllabam productam habeant, in fine versuum poni non possunt.[11] Et cum a veteribus, qui de rebus metricis scripserunt, proditum sit, *ἀμφί* et *ἀντί*, cum plus binas moras habeant, accentum non retrahere, hoc quoque eos dicere voluisse puto, has praepositiones substantiva omnino sequi non posse.[12] Praepositiones autem monosyllabae eam ob causam videntur non postpositae esse, cum minorem gravitatem habeant, quam quae postpositae bene ferri possint. Atque apud Aeschylum quidem plerumque *παρά, περί, ὑπό*, nunquam *κατά*,

---

1) l. c. II, 1 pag. 481.

2) l. c. II, 68, 4.

3) „Gebrauch von *σύν* und *μετά* c. gen. bei Euripides" in programmate gymn. Francof. ad Moen. 1876 pag. 17 sqq.

4) cf. Kühnerum l. c. II, 1, 481 et Krügerum l. c. II, 68, 4, 1.

5) cf. Krügerum l. c. II, 68, 4, 6.

6) cf. Kühnerum l. c. II, 1, pag. 480 annot. 2.

7) cf. Kühnerum l. c. II, 1, pag. 481 et Krügerum l. c. II, 68, 4, 1.

8) de Aesch. Ag. v. 1277 vide infra pag. 20.

9) verba enim Aesch. Suppl. 826 *τῶν πρό* corrupta sunt.

10) Soph. Oed. Reg. versus 525 enim recte ab omnibus fere editoribus emendatus videtur esse, cf. Momms. l. c. pag. 18 annot. 9 et pag. 23 annot. 13.

11) cf. infra pag. 19 sqq.

12) cf. Göttlingium, Accentlehre pag. 377, a.

apud Sophoclem κατά, παρά, περί, ὑπό, ἀπό,[1] nunquam ἐπί,[2] apud Euripidem plerumque ἐπί, περί, ὑπό anastrophen patiuntur.[3]

In universum Aeschylus et Sophocles hac dicendi formula multo rarius usi sunt, quam Euripides.[4] Aeschylus autem, si ex fabulis, quae ad nostram pervenerunt aetatem, certi aliquid concludere licet, in prioribus fabulis saepius hanc figuram usurpavit, rarius in posterioribus, quod non inconsulto factum esse videtur. Invenimus enim in Persis undecim exempla, 61, 190, 225, 329, 388, 448, 613, 614, 734, 755, 817, in Septem quinque exempla exstant, 111, 206, 248, 286, 1024, ut magis ad posteriores fabulas vergant. Etiam in Orestia rarius haec collocatio invenitur, Agam. praebet novem exempla, qua in re illud cogitandum est, hanc fabulam multo longiorem esse, quam ceteras, 265, 541, 587, 590, 843, 858, 1133, 1359, 1368, in Choephoris septem exempla sunt, 86, 90, 122, 551, 718, 780, 850, in Eumenidibus quatuor, 99, 617, 630, 684.[5] Hae fabulae quo anno in scenam commissae sint, notum est; Supplices autem, quae octo anastrophes exempla praebent, 238, 369, 499, 826, 934, 1003, 1010, 1072, magis ad priores fabulas vergunt, quod aliis quoque de causis, quas hic afferre longum est, verisimillimum est. De tempore Promethei, de quo dissentiunt inter se homines docti, ex hac quaestione concludi posse videtur, eum in numero posteriorum fabularum habendum esse, cum sex tantum exempla praebeat, 67, 365, 634, 700, 811, 988.

In Sophoclis fabulis vix similem progressum statuere possumus, praesertim cum de singularum tragoediarum tempore praeter Philoctetem nihil constet. Id tantum observari potest in Oed. Col., quam fabulam inter postremas fuisse nobis traditum est, multo rariora esse exempla anastrophes praesertim pro longitudine; quinque exempla sunt, 423, 639, 899, 1423, 1626. Pleraque exempla praebent Aias, Antigone, Oed. Rex.

Inter Euripidis singulas fabulas hac in re nullum fere discrimen est; tantum id commemoratione dignum est, Rhesum fabulam multo minorem exemplorum numerum praebere, quam genuinas fabulas Euri-

---

[1]) περί cum gen. semper anastrophen patitur praeter Ai. 150, quod Ellendtius et Dindorfius in lexicis Sophocleis s. v. περί adnotant.

[2]) de Trach. v. 615 vide infra pag. 21.

[3]) cf. Mommsen l. c. annot. 9 pag. 18 sq.

[4]) cf. Momms. l. c. pag. 20.

[5]) de versu 417 vide infra pag. 20.

pideas. Sunt enim in Rheso tres loci, 72,[1] 397, 930, genuinae fabulae vero singulae octo minimum exempla continent ut Alc., vel novem ut Heracl., vel tredecim ut Cyclops, quamquam multo brevior haec fabula est ceteris.

Atque primum quidem in anastrophes usu id notandum est, Aeschylum Sophoclem Euripidem hac figura in dialogis semper ita usos esse, ut praepositio extremum versuum locum obtineret. Quam regulam observari solere, iam Weckleinius[2] et Dindorfius[3] dixerunt, sed in Aeschyli et Sophoclis fabulis sine ulla exceptione observata est, cum nullus in manuscriptis locus traditus sit, quo id non factum esse concedere debeamus. Tamen videmus recentiore aevo homines doctos nonnullis locis hanc legem neglexisse.

Ita in Aesch. Suppl. v. 254 in omnibus editionibus invenitur *καὶ πᾶσαν αἶαν, ἧς δι' ἁγνὸς ἔρχεται | Στρύμων,* quod iam Turnebus coniecerat ex literis corruptis *καὶ πᾶσαν αἴδνης διάλγος ἔρχεται* et omnes post eum, qui ediderunt hanc fabulam, mutationem illam, cum levissima esset una litera *α* ex *δ* mutata et sensum aptum praeberet, receperunt. Mutatio enim *ἁγνός* ex *ἄλγος,* quae mihi quoque videtur vera esse, ab hac quaestione aliena est. Illa tamen scriptura *αἶαν ἧς δι'* et ob eam causam, quam dixi, falsa est, quod praepositio in anastropha non in fine versus collocata est, et quod praepositiones apud Aeschylum in anastropha nunquam elisionem passae sunt. Etiam apud Sophoclem in dialogis nullum elisionis exemplum invenitur, in carmine lyrico unum inveni, Phil. 190 *οἰμωγᾶς ὕπ';* apud Euripidem etiam in dialogis nonnulla elisionis exempla exstant, de quibus infra dicendum est. Atque causa huius rei eadem videtur esse, quae praepositiones monosyllabas omnino post substantiva poni vetuit. Itaque alia coniectura hoc loco opus est; et ita facillime huic loco medicinam attulisse mihi videor, ut scribendum proponam *καὶ πᾶσαν αἶαν, ἁγνὸς ἣν διέρχεται | Στρύμων.* Sensus enim non mutatur et praeter mutationem literae *δ* in *α* una litera *ς* in *ν* et ordo verborum, quo persaepe locos corruptos esse constat, mutatur. Pronominis autem relativi non in initio enuntiati positi, quamquam res

[1]) Piersonus in mus. Rhen. 1857 pag. 263 *ἔπι* per tmesin dictum esse censet, simplicior tamen videtur anastrophe *νεὼς ἔπι.*

[2]) in editione Promethei Aeschylei ad versum 67.

[3]) in lexico Aesch. s. v. *παρά* et in lexico Soph. s. vv. *περί, ὑπέρ, ὑπό.*

notissima est, tamen afferam exempla, quae Dindorfius[1] inter alia relativi pronominis exempla inseruit: Prom. 354 *πᾶσιν ὃς ἀνέστη θεοῖς,* 421 *ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα Καυκάσου πέλας νέμονται.*

Deinde Ag. 1277 *βωμοῦ πατρῴου δ' ἄντ' ἐπίξηνον μένει* verbum *ἄντ'* pro praepositione *ἀντί* habitum est, quamquam Dindorfius[2] adnotat: „etsi contra regulam grammaticorum, qui anastrophen praepositionis *ἀντί* non admittunt.“ Exstat autem glossa in codice Farnes.: *ἐνάντιον, διάδοχον ἐμοῦ τῆς ξενῆς,* ad quae verba Hermannus[3] adnotat: „legebat igitur interpres *ἄντ'* id est *ἄντα.*“ Verbum *ἄντα* autem, cum semper localem sensum habeat, hoc loco ferri non potest, ut iure Mommsenio[4] hic locus suspectus videatur esse. Huc accedit, id quod iam ad priorem locum dixi, quod elisio in anastropha nunquam apud Aeschylum invenitur.

In Eum. versu 417 *Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὕπαὶ κεκλήμεθα* non opus est verbum *ὑπαί* pro praepositione habere, sed si vertimus: „*Ἀραί*“ vocamur infra in aedibus telluris, iure *ὑπαί* adverbii magis quam praepositionis munere fungi putabimus; sic etiam Ag. 944 *ὑπαί τις ἀρβύλας | λύοι τάχος* verbum *ὑπαί* adverbium sit necesse est. Sin autem hoc loco *ὑπαί* praepositionem esse putaverimus, id certe concedendum est, cum forma magis epica servata sit, etiam collocationem magis epicam servari potuisse, quae aliter non admissa sit ab Aeschylo.

Alius locus, quo lex, quam supra dixi, non servata est, exstat in Aeschyli fragm. 305, 9 *ἀεὶ δὲ μίσει τῶνδ' ἄπ' ἄλλον εἰς τόπον.* Ita plerumque in editionibus scribitur. Codices vero Aristotelis, in cuius historia animalium IX, 49 haec verba prodita sunt, praebent pro verbis *ἄπ' ἄλλον* literas *ἀπάλλου, ἀσπάλλου, ἀπαλῶν,* scriptura autem, quam attuli, ex coniectura orta est, ut ea uti non possimus ad evertendam eam, quam statui, legem. Quod Heathius hoc loco coniecit: *τῶνδ' ἀπαλλαγεὶς τόπων,* non video cur non recipiamus, cum sententiam idoneam praebeat. Contra ad illam scripturam *τῶνδ' ἄπ' ἄλλον* damnandam id quoque afferri potest, quod etiam hoc loco praepositio in anastropha posita elisionem iniuria passa est.

Etiam Soph. Oed. Reg. 728 quam scripturam in nonnullis editionibus invenimus *ποίας μερίμνης τοῦθ' ὕπο στραφεὶς λέγεις* eadem de

[1]) in lexico Aesch. s. v. *ὅς.*

[2]) in lexico Aesch. s. v. *ἀντί.*

[3]) in editione Aeschyli ad hunc locum.

[4]) l. c. pag. 19 annot.

causa reicienda est et scribendum vel *ὑποστραφείς* vel *ἐπιστραφείς*, ut in plerisque editionibus factum est.

Deinde in Trachiniarum versu 614 traditum est: *ὃ κεῖνος εὐμαθὲς | σφραγῖδος ἕρκος τῷδ' ἔπ' ὄμμα θήσεται*, quae verba mendosa esse nemo non intellegit. Quam ob rem ne ex hoc quidem loco concludere possumus praepositiones in anastropha intra versum positas esse. Quod Burgesius coniecit, et Schneidewinus et Nauckius in editione sua receperunt: *τῷδ' ἔπ' εὖ μαθήσεται*, eodem vitio laborat. Huc accedit, id quod iam supra[1] commemoravi, quod Sophocles praepositionem *ἐπί* nunquam in anastropha posuit, praeterea illud quoque, quod in dativo casu anastrophen non admisit Sophocles, de qua re vide, quae intra (pag. 29) disputata sunt. Etiam illud addi potest, quod iam saepius monui, elisionem in anastropha perraro inveniri, apud Soph. nonnisi in carmine lyrico Phil. 190. Itaque coniecturam, quae Billerbeckio debetur receptaque est a Dindorfio: *ὃ κεῖνος εὐθέως | σφραγῖδος ἕρκει τῷδ' ἐπὸν μαθήσεται* (*εὐθέως* Dindorfius ipse pro *εὐμαθές* coniecit) accipiendam esse censeo.

Videmus igitur nullum in Aeschyli et Sophoclis codicibus locum exstare, quo illam legem, quam dixi, non servatam esse concedere debeamus. Itaque puto illam praepositionum collocationem coniecturis in Aeschyli et Sophoclis fabulas recipere nobis non licere, ut Aesch. Suppl. 254, fragm. 305, 9, Soph. Trach. 615 factum est.

Contra Euripides diverse hanc rem tractavit. Inveniuntur enim apud eum nonnulla exempla, quamquam rara in tanta exemplorum copia, quibus praepositio in anastropha extremum versus locum non tenet, quos locos, cum libri in scriptura non dissentiant, ut inter se fulciantur hi loci, mutare nobis non licet.

Sunt autem loci hi: Hel. 750 *νεφέλης ὕπερ θνήσκοντας εἰςορῶν φίλους*, ubi, nisi alia huius collocationis exempla haberemus, facillime *ὑπερθνήσκοντας* scribere possemus. El. 574 *ἦν ποτ' ἐν πατρὸς δόμοις | νεβρὸν διώκων σοῦ μέθ' ἡμάχθη πεσών*, ib. 1026 *ἔκτεινε πολλῶν μίαν ὕπερ.* ib. 1125 *τούτων ὕπερ μοι θῦσον.* Bacch. 732 *θηρώμεθ' ἀνδρῶν τῶνδ' ὕπ'· ἀλλ'* etc. Haec scriptura enim melior videtur, quam si, ut Paleius vult, verbum *ὑπό* ad ea, quae sequuntur, referimus. Etiam Elmsleius et Dindorfius illo modo hunc locum scribunt. Deinde Iph.

---

[1]) cf. supra pag. 18.

Aul. 967 *τὸ κοινὸν αὔξειν, ὧν μέτ' ἐστρατευόμην.* fragm. 362, 35 *πόλεως θανούσῃ τῆσδ' ὕπερ δοθήσεται.*

His igitur septem locis praepositio in anastropha non in fine versuum posita est. Dignum autem est, quod commemoretur, omnes hos locos exstare in fabulis alterius ordinis, qui vulgo nominatur, cuius libri deteriores sunt, quam prioris ordinis fabularum Euripidearum.

Praeterea illa collocatio tribus locis coniectura iure recepta videtur, Ion. 431 *ἤτοι φιλοῦσά γ', ἧς ὕπερ μαντεύεται,* quod Musgravius pro *γῆς ὑπερμαντεύεται* scripsit Dindorfiusque recepit. Nauckius codicum scripturam *ὑπερμαντεύεται* retinet, quamquam hoc verbum nullo alio loco exstat. Itaque non est, cur Musgravii coniecturam non recipiamus. — Deinde Cycl. v. 318 Hermannus, quem Dindorfius sequitur, scripsit *ἃς κάθ' ἵδρυται πατήρ,* quod sensum magis idoneum praebet, pro lectione tradita *ἃς καθίδρυται πατήρ.* Etiam elisio praepositionis, quamquam in fine versuum non admissa est, intra versum invenitur El. 574 et Bacch. 732 et in carmine a choro cantato Hipp. 549 (sed ex coniectura Matthiaei). — Fragm. 362, 18 Dindorfius Meinekium secutus scripsit: *προπάντων μίαν ὕπερ δοῦναι θανεῖν,* codices exhibent *πρὸ πάντων* et plerique *ὑπερδοῦναι.* Wagnerus in editione fragmentorum tragicorum nulla annotatione addita scribit *πρὸ πάντων μίαν ὑπὲρ δοῦναι θανεῖν,* ut verbum *ὑπέρ* in tmesi ponatur. Sed vix puto Euripidem dixisse *πρὸ πάντων ὑπερθανεῖν,* sed aut *πρὸ πάντων θανεῖν* aut *προπάντων ὑπερθανεῖν* dicendum erat, neque tmesis *ὑπερ-θανεῖν* interposito verbo *δοῦναι* bene se habet. Quam ob rem Meinekii coniecturam recipiendam censeo.

Atque si quaerimus, cur Aesch. Soph. Eur. praepositionem in anastropha positam semper fere in fine versuum collocaverint,[1] ea videtur huius rei causa fuisse, ut pausa, quae inter singulos versus recitandos intercedit, clarius fiat, praepositionem non ad ea verba, quae sequuntur, sed ad ea, quae praecedunt, esse referendam. In eis vero locis Euripideis, quibus praepositio non in fine versuum collocata est, eam causam afferre non possumus; tamen videmus Euripidem hic paullo diligentiorem fuisse, cum hic praepositionem nullo alio verbo interposito post substantivum collocaret, ut Ion. 431, Hel. 750, El. 574, 1125, Bacch. 732, Iph. Aul. 967, Cycl. 318, fragm. 362, 35 (attributum enim in hac re nullum discrimen

---

[1]) Hoc enim non inconsulto factum esse, luce clarius apparet ex hoc loco Sophocleo Ant. 681 *ἡμῖν μὲν — | λέγειν φρονούντως ὧν λέγεις δοκεῖς πέρι,* ubi praepositio vel ex enuntiato relativo eximitur, ut extremum versus locum teneat.

facere iam supra monitum est[2]). Duobus locis, El. 1026 et fragm. 362, 18, hoc non factum est, sed priore loco praepositio in fine enuntiati locum habet, ut facile cognoscatur eam non ad verba quae sequuntur referri posse. Altero loco ne id quidem observatum est, tamen puto Meinekii coniecturam ea re defendi posse, quod verba *πάντων μίαν* oppositionis causa non seiuncta sunt, quam rem iam supra observavimus. Cum hoc enim loco conferendi sunt loci: *ἐπ' αὐτὸς αὐτῷ* et similes, in quibus ordo verborum idem est, nisi inversus.

Iam transeundum videtur ad ea anastrophes exempla, quae in partibus lyricis vel in anapaestis inveniuntur. In universum id dicendum est multo rarius in eis quas dixi partibus fabularum anastrophen usurpatam esse. Exempla haec sunt: Aesch. Sept. 111 *ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ,* ib. 206, Pers. 61, Suppl. 826 (in loco corrupto), 1074, Ag. 1133. Apud Sophoclem haec exempla exstant: Ant. 528 *νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει,* ib. 932, Oed. Reg. 188, 1358. Euripides haec exempla praebet: Hipp. 549 *οἴκων ζεύξας ἄπ' εἰρεσίαν* (sic Matthiaeus pro *ἀπειρεσίαν*), ib. 1129 (ex coniectura Blomfieldi), Andr. 114, 830, Hec. 206, 209, 916, Or. 184 *οὐχὶ σῖγα, σῖγα φυλασσομένα στόματος ἀνακέλαδον ἄπο λέχεος ἄσυχον ὕπνου χάριν παρέξεις,* ubi praepositio *ἀπό* etiam ad ea quae sequuntur verba referri potest. Ib. 328, 969, Phoen. 792, 824, 1577, 1735, Suppl. 284, Hel. 694, 1119, 1311 sqq., El. 1355, Iph. Aul. 600, Cycl. 358. Inveniuntur igitur apud Aeschylum anastrophes exempla in carminibus lyricis quinque, in anapaestis unum, apud Sophoclem in carminibus lyricis duo, totidem in anapaestis, apud Euripidem in carminibus lyricis undeviginti, in anapaestis unum certum exemplum, alter enim locus, Iph. Aul. 600, si Hermannum et Dindorfium sequimur, interpolatus est. Si enim recte versus distributi sunt in editionibus, *ὄχων* in fine versus, *ἄπο* in initio eius qui sequitur exstat, quae collocatio et molestissima est et nullo alio loco admissa est.

Atque si quaerimus, utrum etiam his locis ex lyricis tragoediarum partibus petitis praepositio semper in fine versuum collocetur, necne, nulla re manifesto indicatur, ubi versus singuli finiantur, quo factum est, ut etiam editores fabularum permultis locis in distribuendis metrorum lyricorum versibus dissentiant inter se. Haec tantum certa sunt: Aesch. Pers. 61 *οὓς πέρι πᾶσα χθὼν Ἀσιᾶτις* etc. praepositio *περί* non in fine

---

1) cf. pag. 1 sub finem et pag. 2.

versus posita est. Versus enim 58 paroemiacus est, itaque quod verbum post eum exstat, τοιόνδ' versum alterum incipiat necesse est. Inde autem ab hoc verbo ad verbum ἀνδρῶν (v. 60) tres monometri anapaestici sunt, ut etiam verba οὓς πέρι πᾶσα monometrum efficere perspicuum sit. Cum autem monometer anapaesticus inter duos versus dividi non possit, necesse est πέρι intra versum positum esse. — Suppl. 1074 θεοῦ πάρα praepositio in fine non modo versus, sed etiam totius fabulae posita est. — Soph. Ant. 528 νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ etc. praepositio intra versum collocata est, cum syllabae ὕπερ αἱ — anapaestum efficiant. — Ib. 932 βραδύτητος ὕπερ praepositio in fine versus posita est, cum orationem finiat, post quam alia persona loquitur. — Eur. Andr. 114 ἅς ὕπο τειρομένα praepositio intra pentametrum locum habet, ut in fine versus non positam eam esse appareat. — In Phoen. vv. 792, 824, 1577, Suppl. v. 284 praepositiones intra hexametrum dactylicum exstant, quem inter duos versus divisum esse non putabimus. Praepositiones igitur intra versum exstant. — El. 1355 μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω, syllabae μέτα συμ — anapaestum efficiunt et praeterea μέτα συμπλείτω monometrum efficere ex ea re elucet, quod haec verba paroemiacus sequitur. Praepositio igitur versum non finit.

In aliis carminum lyricorum et anapaestorum locis non certo indicare possumus, utrum praepositio in fine versus posita sit an intra versum. Ex eis autem, quae exposui, id intellegitur, legem, quam in trimetris observari ostendisse mihi videor, ad carmina lyrica et anapaestos non pertinere.

Sicut praepositio in anastropha semper fere in fine versuum collocata est, ut ex pausa, quae sequitur, facilius cognoscatur ad ea verba, quae praecedunt, spectare praepositionem, ita Aesch. Soph. Eur. plerisque locis praepositionem etiam in fine enuntiatorum posuerunt, ut pausa maior fiat sententia finita et, quo referenda sit praepositio, statim perspiciatur. Utrum maior an minor incisio post praepositionem fiat, ad hanc rem non magni momenti est, cum pausa aliqua oriatur semper necesse sit.

Atque apud Aeschylum quidem non multi loci exstant, quibus praepositio enuntiatum non finiat. Sunt exempla haec: Prom. 67 τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὕπερ | στένεις, ib. 700. Pers. 61, 190, 614, 734 οὐ πολλῶν μέτα (hic locus his exemplis adnumerandus est, cum v. 736 oratio excipiatur, quamquam enuntiatum interrumpitur alius personae verbis),

755, 817. Suppl. (826), 934, 1003. Ag. 843, 1133. Eum. 684. His autem locis, quibus enuntiatum non finitur post praepositionem, videmus in ea re diligentiorem fuisse Aeschylum, quod verba inter praepositionem et substantivum non interposuit. Uno loco, Pers. 190 *ἅρμασιν δ' ὕπο* | *ζεύγνυσιν* hoc non observatum est, sed illud ad excusandam hanc collocationem afferri potest ante *ἅρμασιν* incisionem esse, ut statim cognoscatur hoc verbum non cum verbis quae praecedunt esse coniungendum. Praeterea una litera intercedit. Singulas fabulas autem si percurrimus, illud rursus animadvertimus, quod iam supra commemoratum est, Aeschylum in prioribus fabulis minus diligentem fuisse quam in posterioribus.

Apud Sophoclem his locis praepositio non in fine enuntiati invenitur Ai. 442 *εἰ ζῶν Ἀχιλλεὺς τῶν ὅπλων τῶν ὧν πέρι* | *κρίνειν ἔμελλε,* ib. 498, 1229, Ant. 223, 528, Oed. Rex 1400, Oed. Col. 899, 1636, El. 65, Trach. 1077, Phil. 190, 298, 334, 583, fragm. 94, 1 et 5. 507. 587/88, 2. His locis Sophocles eodem modo quo Aeschylus substantiva et praepositiones non seiunxit aliis verbis interpositis praeter Phil. 334 *θεοῦ δ' ὕπο* | *τοξευτός,* fragm. 94, 1 *κακῶν τ' ἄπο* | *βλάστοντας,* 507 *Οὐρανοῦ δ' ἄπο* | *ἤστραψε,* quibus locis sicut in Aesch. Persarum v. 190 verbum interpositum ex una litera constat et duobus certe locis, Phil. 334 et fragm. 507, incisio ante substantiva *θεοῦ* et *οὐρανοῦ* est, quae etiam tertio loco, fragm. 94, 1, etsi minor est, videtur statui posse.

Euripides maiore libertate hac in re usus est. Invenimus enim apud eum non modo in universum, sed etiam in singulis fabulis multo maiorem numerum locorum, in quibus praepositio in anastropha posita finem enuntiati non faciat, quam in singulis fabulis Aeschyleis vel Sophocleis, ut omnes afferre longum sit. Id tantum commemorare velim, Rhesi auctorem in omnibus tribus anastrophes exemplis (72, 397, 930) praepositionem non in fine enuntiati posuisse. Inter locos Euripideos etiam multi sunt, quibus verba inter praepositiones et substantiva intercedunt, plerumque particulae *δέ* vel *τέ,* ut Hipp. 32 *Ἱππολύτῳ δ' ἔπι* | *τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἱδρῦσθαι θεάν,* vel Hec. 240 *ὀμμάτων τ' ἄπο* | *φόνου σταλαγμοί* etc., quae dicendi formula apud Euripidem persaepe invenitur, ut a substantivo enuntiatum incipiat, deinde sequatur particula *δέ* vel *τέ,* post hanc in fine versus praepositio collocetur. In ea autem re abhorret Euripides ab usu dicendi Aeschyleo et Sophocleo, quod etiam si praepositio non in fine enuntiati posita est, tamen alia verba ac particulas interponit inter substantiva et praepositiones. Exempla fere sunt Med.

985 *νερτέροις δ' ἤδη πάρα νυμφοκομήσει.* Phoen. 33 *ἤ τινος μαθὼν πάρα | ἔστειχε.* Heracl. 50 *οὗ διωκόμεσθ' ὕπο | πάσης ἀλῆται γῆς ἀπεστερημένοι.* fragm. 68, 1 *ὅταν τις σώματος μέλλῃ πέρι | λέγειν.*

His igitur locis omnibus, quos attuli, praepositio enuntiatum non finit. Sin vero ea extrema enuntiati vox est, etiam Aeschylus et Sophocles, cum facilius cognosci possit praepositionem ad verba, quae praecedant, referendam esse, alia verba interposuerunt inter substantiva et praepositiones. Aeschylea exempla haec sunt: Prom. 988 *ἐμοῦ τι πείσεσθαι πάρα.* Sept. 248 *τῶνδε βουλεύειν πέρι.* Pers. 225 *τῶνδε κρίνομεν πέρι,* ib. 329[1] *τοιῶνδε τῶνδε νῦν ὑπεμνήσθην πέρι.* [Ag. 1359 *τοῦ δρῶντός ἐστι καὶ τὸ βουλεῦσαι πέρι.* Hoc loco *πέρι* non ad verba *τοῦ δρῶντος* referendum est, ut Blomfieldus et Wellauerus volunt, quod Hermannus recte reiecit, sed *πέρι* ad substantivum, quod mente supplendum est, referri debet.] Deinde Choëph. 86 *τῶνδε σύμβουλοι πέρι,* ib. 551 *τῶνδε σ' αἱροῦμαι πέρι,* ib. 780 *ὧνπερ ἂν μέλῃ πέρι,* ib. 850 *ὡς αὐτὸν αὐτῶν ἄνδρα πεύθεσθαι πέρι,* quae collocatio aperte idcirco usurpata est, ne verba *αὐτὸς αὐτῶν* seiungerentur. — Notandum est, praepositionem in his exemplis excepto uno loco Prom. 988 semper *πέρι* esse, qua in praepositione omnino anastrophes usus latius patet.[2] Deinde illud quoque notandum est, omnibus his locis verbum, ad quod refertur praepositio, pronomen esse, plerumque *τῶνδε,* ut ob eam ipsam causam, quae Blomfieldus et Wellauerus dixerunt ad Ag. v. 1359, verisimilia non videantur. Huc accedit, quod Aeschylus nunquam plura duobus verbis interposuit.

In hac re videmus Sophoclem minus diligentem fuisse, qui haec praebet: Ai. 792 *Αἴαντος δ' ὅτι, | θυραῖος εἴπερ ἐστὶν, οὐ θαρσῶ πέρι*[3] (ubi pro *ὅτι* videtur scribendum esse *δέ τοι*), ib. 936, 969, 1029, 1231, Ant. 70, [214 *τῶν θανόντων χὠπόσοι ζῶμεν πέρι.* Hoc loco vix dici potest verba quaedam interposita esse, cum ad enuntiatum relativum *ὁπόσοι ζῶμεν* vel si accuratius locum spectamus, ad pronomen demonstrativum, quod subaudiendum est, praepositio *πέρι* referatur. Ne hoc quidem loco, Ant. 518 *πορθῶν δὲ τήνδε γῆν · ὁ δ' ἀντιστὰς ὕπερ* dicere possumus verba

---

[1]) quamquam verba *τοιῶνδε τῶνδε νῦν* ex coniectura profecta sunt, tamen id certum est, aliquid inter praepositionem et pronomen intercedere.

[2]) vide pag. 17 adnot. 5 et pag. 18 adnot. 1.

[3]) Per grammaticam rationem *πέρι* etiam per tmesin positum esse putari posse, sed simplicius hunc locum figura anastrophes explicari Piersonus dicit l. c. pag. 92.

quaedam interposita esse, cum praepositio non ad verbum γῆν, sed ad verbum γῆς, quod ex hoc supplendum est, referenda sit[1]]; ib. 681, 1012, Oed. Rex 707, 738, 989, 1358, 1444, 1448, Oed. Col. 639, El. 553, 1110, Trach. 90, 370, 422 ἐμοῦ κλύειν πάρα, quod coniecit Bothius pro παρών; ib. 708, 1160, Phil. 621.

Notandum est, in Oed. Coloneo et Philoctete, quas fabulas inter extremas fuisse nobis traditum est, singulos tantum locos exstare, ut sub finem vitae Sophoclem hac in re diligentiorem se praestitisse putandum sit. Praeterea illud quoque quod iam supra in Aeschyleis observavimus, substantivum seiunctum a praepositione pronomen esse, id etiam ad plerosque hos locos Sophocleos pertinet.

Apud Euripidem permulta eiusmodi exempla exstant, quae omnia enumerare non in animo est. Nonnullis horum locorum Piersonus[2] tmesin inesse putat: Hec. 513 ὄλωλας, ὦ παῖ, μητρὸς ἁρπασθεῖσ᾽ ἄπο. Herc. fur. 974 ἄλλος δὲ βωμὸν ὄρνις ὣς ἔπτηξ᾽ ὕπο. Hel. 474 Λακεδαίμονος γῆς δεῦρο νοστήσασ᾽ ἄπο. Bacch. 620 ἱδρῶτα σώματος στάζων ἄπο. Cycl. 384 πλατείας ἐσχάρας βαλὼν ἔπι. Simplicius tamen hi loci videntur anastropha explicari posse omissis illis causis plerumque nimis artificiosis, quas Piersonus singulis locis apposuit, cum eis non efficiatur, ut anastrophen locum non habere dicamus. Uno loco vero, Hel. 474 fortasse recte iudicavit Piersonus, cum δεῦρο inter Λακεδαίμονος et ἄπο, si anastrophen admitteremus, moleste se haberet. Etiam Hec. 504 Ἀγαμέμνονος πέμψαντος, ὦ γύναι, πάρα, si Dindorfii scripturam πάρα pro μέτα sequimur, anastrophe usurpata videtur. Si respicimus scholiastae verba (μετακαλεσαμένου σε, ὦ γύναι, Ἀγαμέμνονος), addendum videtur σέ: Ἀγαμέμνονος πέμψαντός σ᾽, ὦ γύναι, μέτα.

Atque si comparaverimus omnes hos locos, quibus Aesch. Soph. Eur. verba quaedam inter substantiva et praepositiones in fine enuntiatorum collocatas interposuerunt, cum illis, quibus interpositis verbis praepositio extremum enuntiati locum non tenet,[3] invenimus Aeschylum et Sophoclem in his modo particulas δέ et τέ, quae praeterea elisione omnem fere vim amiserant, interposuisse, contra Euripidem nonnullis locis vel singula verba vel τέ et δέ, praeter ea singula verba, interposuisse;

---

[1]) Tmesin ὑπερ-ἀντιστάς non prorsus reiiciendam, sed artificiosiorem eamque ob causam minus veri similem esse Piersonus dicit l. c. pag. 92.

[2]) l. c. pagg. 265, 268, 270, 272, 284.

[3]) cf. supra pagg. 24 sq.

in illis vero (ubi praepositio extremum enuntiati locum tenet) Aeschylum et Sophoclem nonnulla verba interposuisse, sed nunquam substantivum tam longe removisse, ut primum versus locum obtineat. Unus locus Sophocleus ab hac lege recedit, Ai. 792, ubi ne in eodem quidem versu substantivum positum, sed longiore intervallo a praepositione seiunctum est. Quae collocatio insolita ea re defendi potest, quod verbum *Αἴαντος*, ad quod refertur praepositio, nomen proprium est, quae verba per se ipsa maiorem vim habent, et quod praeterea hoc verbum primam enuntiati sedem habet et opponitur verbis *τὴν σὴν πρᾶξιν*, ut maxima vi pronuntiatum esse illud verbum putandum sit. Apud Euripidem autem, quamquam tantum intervallum nusquam invenitur, saepius tamen substantivum in initio, praepositio in fine versus ponitur, ut iam illa collocatione nexus, qui intercedit inter haec verba, facile intellegatur.[1] Exempli causa afferam Phoen. 421 *στρωμνῆς ἐς ἀλκὴν οὕνεκ' ἤλθομεν πέρι*, Hel. 706 *νεφέλης ἄρ' ἄλλως εἴχομεν πόνους πέρι*, fragm. 367, 1 *αἰδοῦς δὲ καὐτὸς δυσκρίτως ἔχω πέρι*.

Ex his igitur, quae modo dixi, videmus Aeschylum Sophoclem Euripidem non ignorasse, si praepositio in fine enuntiati non posita sit, minus facile cognosci posse, ad quae verba referenda sit, cum substantiva non tam longe removerint, quam eis locis factum est, quibus praepositio enuntiati finem facit.

In universum autem si quaerimus, qua re factum sit, ut praepositio post substantiva collocata tam longo intervallo saepius distet ab eis, ubi autem ante substantivum locum habet, vix duo verba intercedant,[2] causa videtur inde repetenda esse, quod extremus versuum locus, ut saepius dixi, maiorem gravitatem tribuit verbis, praesertim pausa intercedente, quo fit, ut animi eorum, qui spectabant, ad maiorem attentionem erigantur. Praeterea illud quoque addendum videtur, substantiva, cum per se graviora sint, quam praepositiones, maiorem vim habere in oratione, praesertim cum plerumque enuntiatum incipiant, ut ei, qui spectabant, cum praepositiones audirent, facilius substantivorum meminissent, quam praepositionum, si ante substantiva posita essent et aequo intervallo distarent. Quamquam in universum id concedendum est, has quaestiones admodum lubricas esse et certi aliquid in talibus rebus statuere difficillimum esse.

---

[1]) cf. Klotzium ad Eur. Phoen. v. 424 (suae editionis).

[2]) de qua re in paragrapho prima disputatum est.

Denique pauca de casibus, qui in anastropha inveniuntur, addere mihi liceat. Atque is casus, qui longe saepissime exstat, genetivus est et pauci tantum loci inveniuntur, quibus alii casui praepositio postposita est.[1] Apud Aeschylum haec exempla exstant: Prom. 365 *ῥίζαισιν Αἰτνείαις ὕπο.* Pers. 61 *οὓς πέρι.* 190 *ἅρμασιν δ' ὕπο.* Suppl. 1074 *μηχαναῖς θεοῦ πάρα* in horum exemplorum numero habendum non videtur, cum aptius, sicut Dindorfius fecit, *πάρα* ad *θεοῦ* referatur. Videmus igitur hac quoque re, quod iam saepius observatum est, Aeschylum in eis fabulis, quas posteriore eius aetate in scenam commissas esse nobis traditum est, leges, quas sibi statuerat, diligentius observasse.

In Sophoclis fabulis nullum eiusmodi exemplum invenitur.[2]

Euripides plura talia exempla etiam pro numero fabularum praebet, quam Aeschylus et Sophocles[3]: Alc. 46 *ἣν σὺ νῦν ἥκεις μέτα.* Med. 985. Hipp. 32. Andr. 760. Suppl. 627, 670, 1221. Heracl. 217. Herc. fur. 974. Ion. 1158, 1227, 1529. Hel. 386, 1556, 1614. El. 641. Iph. Aul. 615 (quem locum Dindorfius interpolatum esse censet), 1261. Cycl. 318 (ex coniectura Hermanni[4]), 384.

Satis igitur apparet genetivum casum legitimum in anastropha fuisse et Aeschylum et Euripidem raro ab hac usitata dicendi ratione recessisse, nunquam Sophoclem.[5] Euripides praeter genetivum saepius in accusativo anastrophen admisit, dativum his tantum locis: Med. 985 *νερτέροις δ' ἤδη πάρα,* Hipp. 32 *Ἱππολύτῳ δ' ἔπι,* Ion. 1158 *τοίχοισιν δ' ἔπι,* Iph. Aul. 615 *ἀγκάλαις ἔπι.* Praepositio *κατά* autem, quae quater tantum anastrophen passa est, omnibus his locis, Andr. 760 *Φθίαν κάτα,* Hel. 386 *Πῖσαν κάτα,* ib. 1556 *σανίδα προςβῆναι κάτα,* Cycl. 318 *ἃς κάθ' ἵδρυται πατὴρ* (si Hermanni coniecturam recipimus[4]) cum accusativo coniuncta est.

Recapitulatio.

Quae adhuc de praepositionum collocatione disputata sunt, paucis verbis comprehendere e re videtur.

In universum Aeschylus et Sophocles ab usitata praepositionum

---

[1]) cf. Momms. l. c. pag. 22, annot. 10, III, 8—10.

[2]) nam de Trachiniarum versu 615 iam supra pag. 21 dictum est. Phil. 343 *ἦλθόν με νηΐ ποικιλοστόλῳ μέτα* tmesis usurpata esse a Sophocle videtur cf. Momms. l. c. pag. 24 (init.).

[3]) cf. Momms. l. c. pag. 24. [4]) vide supra pag. 22.

[5]) Qua de causa hoc factum sit, Momms. l. c. pag. 24 recte indicasse videtur.

collocatione minus saepe recedunt, quam Euripides. Praeterea Aeschylum in fabulis posterioribus diligentiorem fuisse, quam in prioribus, saepius observari potest.

In particulis vel aliis verbis interponendis inter praepositionem et substantivum Sophocles maiore libertate usus est, quam Aeschylus et Euripides. Tantum verbum *αὐτός*, ubicunque licet, apud Aeschylum interponitur, rarius apud Sophoclem, nunquam apud Euripidem. Pronomen *σέ* in iurisiurandi formulis Sophocles et Euripides interdum interponunt, Aeschylus hac formula nusquam usus est.

In praepositionibus inter attributum et substantivum positis vix discrimen inter Aeschylum Sophoclem Euripidem statuendum est, nisi quod apud Sophoclem, qui omnino in fine versuum tractando multo maiorem libertatem sibi assumpsit, praepositio saepius extremum versus locum tenet.

In anastropha tractanda Aeschylus et Sophocles diligentiores sunt, quam Euripides. Illi praepositionem semper in fine trimetrorum collocaverunt, hic paucis locis ab hac lege recessit. Deinde apud Aeschylum et Sophoclem nonnulli loci inveniuntur, quibus praepositio extremum enuntiati locum non habet, apud Euripides plures, etiam interpositis aliis verbis, non modo particulis *δέ* et *τέ*, quod in illorum fabulis non factum est, nisi praepositio finem enuntiati facit. Casus, in qua anastrophe admitti solet, genetivus est, apud Sophoclem semper, apud Aeschylum pauci loci alium casum praebent, plures apud Euripidem.

Caput II.

De collocatione attributorum.

§ 1.

De adiectivis non inter articulum et substantivum collocatis.

Ubi substantivum cum articulo coniunctum est et adiectivum aut ante articulum aut post substantivum ponitur, hanc collocationem, quae ab usitato et a vernaculo dicendi usu abhorret, non sine causa aliqua usurpatam esse apparet, si eos locos, qui huc spectant, accuratius contemplamur.

In universum Aeschylus hac verborum collocatione multo rarius usus est, quam Sophocles et Euripides; atque inter Euripidis fabulas saepius, quam in tragoediis, haec collocatio invenitur in Cyclope, cuius fabulae sermonem etiam aliis rebus a sermone tragoediarum diversum esse iam Hermannus[1] vidit.

In multis eorum, quos dixi, locorum, si accurate eos spectamus, adiectivum non attributum substantivi est, sed magis ad verbum vel, quod ad idem redit, ad totum enuntiatum referendum est, ita, ut non ad substantivum cum adiectivo coniunctum referatur verbum, sed ad substantivum referatur verbum cum adiectivo coniunctum. Adiectivum igitur, quod grammatica ratione cum substantivo coniungitur, non naturam vel qualitatem (ut hoc verbo utar) aliquam substantivi indicat, sed adiectivum rem aliquam indicat, quae tum demum accidere potest, si obiectum vere exortum est vel si actio verbi coniuncta est cum substantivo. Nonnullis vero locis obiectum, quamquam per se cogitari vel stare potest, tamen qualitatem, quae adiectivo significatur, tum demum habere potest,

[1]) in Cyclopis editionis praefatione pag. XIV.

cum verbi actio accedit. Hac re apparet, adiectivum non significare, quale sit substantivum, sed quomodo actio verbi in substantivo se ostendat. Verbum autem, quod in his exemplis exstat, plerumque *ἔχειν* est, interdum etiam alia verba inveniuntur. Sed haec, quae in universum dixi, singulis locis clarius perspiciuntur.

Soph. Oed. Col. 1199 *ἔχεις γὰρ οὐχὶ βαιὰ τἀνθυμήματα.* Hoc loco consilio tum demum qualitas quaedam tribui potest, si quis id consilium cepit, qualitas igitur non in ipso consilio se ostendit, sed in capiendo consilio. Hoc igitur loco tum demum consilium exiguum vel non exiguum esse potest, si quis est, qui hoc consilium cepit. Ex quibus apparet adiectivum *βαιά* minus ad substantivum *ἐνθυμήματα* referendum esse, quam ad verbum *ἔχειν,* ut non sit cur miremur adiectivum locum usitatum non tenere. Possumus omnibus eiusmodi locis etiam participium *ὤν* supplere, hoc igitur loco: *ἔχεις γὰρ οὐχὶ βαιὰ ὄντα τἀνθυμήματα,* capis consilia, quae non exigua sunt, vel ita, ut non exigua sint.

Eadem est res Eur. Andr. 800 *κοινὰν τὰν εὔκλειαν ἔχοντ'.* Gloria enim non prius communis esse potest, quam aliquis vel complures gloriam habent. Est igitur *κοινός* natura quaedam obiecti *εὔκλεια,* quae non nisi actione verbi *ἔχειν* nasci potest. — Phoen. 375 *καὶ δυςλύτους ἔχουσα τὰς διαλλαγάς.* Reconciliatio tum demum difficilis esse potest, si quis inimicos quosdam reconciliare conatur. — Suppl. 433 *ὅ τ' ἀσθενὴς | ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει.* Apparet ius tum demum par esse posse, si inter pauperes et divites ita distribuitur, ut parem utrique partem iuris adipiscantur. — Eadem est res Hel. 160 *Ἑλένῃ δ' ὅμοιον σῶμ' ἔχουσ' οὐ τὰς φρένας | ἔχεις ὁμοίας, ἀλλὰ διαφόρους πολύ.* Accedit autem, quod *ὁμοίας* opponitur verbo *διαφόρους,* quodque hae duae voces eodem modo cum voce *φρένας* coniunctae sunt, ut moleste se haberet, si altera interposita esset, altera non esset. — Hel. 730 *τοὔνομ' οὐκ ἔχων ἐλεύθερον, | τὸν νοῦν δέ.* Ad eam causam, quam omnibus his locis statui, etiam illud accedit, quod verbum *ἐλεύθερον* eodem modo ad *ὄνομα* et ad *νοῦν* spectat, quod, si Euripides *τὸ ἐλεύθερον ὄνομα* vel *τὸν ἐλεύθερον νοῦν* dixisset, minus facile cognosci poterat.

Praeter haec, quae tractavi, exempla alia inveniuntur, in quibus eandem rem observare licet: Hel. 732 *τὰς φρένας τ' ἔχειν κακάς.* ib. 1385 *ὁ τοὺς ἐμοὺς | γάμους ἑτοίμους ἐν χεροῖν ἔχειν δοκῶν.* El. 737 *τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν παρ' ἔμοιγ' ἔχει.* Bacch. 947 *τὰς δὲ πρὶν φρένας | οὐκ εἶχες ὑγιεῖς.* Iph. Aul. 927 *Χείρωνος ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς*

ἔχειν, fragm. 211, 2 εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι, fragm. 532, 2 ἥτις πονηρὰ τἄργ' ἔχουσ' εἶτ' εὖ λέγεις, 552, 2 ὅταν μὴ τὰς φρένας καλὰς ἔχῃ. Similis locus exstat Ion. 1286 ἱερὸν τὸ σῶμα τῷ θεῷ δίδωμ' ἔχειν, ubi ἱερόν significat non quomodo corpus deo detur, sed potius, cur detur.

Etiam aliis verbis ac verbum ἔχειν positis eandem rem animadvertere licet, Aesch. fragm. 258, 1 οὐ χρὴ ποδώκη τὸν τρόπον λίαν φορεῖν, ubi φορεῖν eandem fere vim habet, quam ἔχειν, et, quod supra dictum est, id quod adiectivo significetur, obiecto ipsi non tribui, sed potius ad verbum referendum esse, idem ad hunc quoque locum quadrat. Eadem est res Soph. Ai. 1121 οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην. Ant. 1089 καὶ γνῷ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν, | τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν, ὧν νῦν φέρει. Oed. Col. 753 ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὦ τάλας ἐγώ, | ὠνείδισ' ἐς σὲ κἀμέ. Hoc loco id, quod supra dixi, manifestissimum est, neque enim ἄθλιον, quale fuerit τὸ ὄνειδος, indicat, sed, quomodo factum sit τὸ ὀνειδίζειν. Deinde Phil. 1281 οὐ γάρ ποτ' εὔνουν τὴν ἐμὴν κτήσει φρένα. Eur. Rhes. 162 sq. παντὶ γὰρ προκείμενον | κέρδος πρὸς ἔργῳ τὴν χάριν τίκτει διπλῆν. Apparet enim gratiam non prius duplicem esse, quam duplex facta sit, quod hoc loco verbo τίκτειν significatur. Alc. 241 ἀβίωτον τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσει. 336 οἴσω δὲ πένθος οὐκ ἐτήσιον τὸ σόν, | ἀλλ' ἔς τ' ἂν etc. Hoc exemplo id, quod supra dixi, dilucide demonstrari potest, maeror enim tum demum annuus (ἐτήσιος) fieri potest, si per annum duravit (οἴσω). Huc accedit, quod aliud adiectivum exspectatur, quod adiectivo ἐτήσιον opponatur, ut συνεχές vel ἀκατάπαυστον vel tale quid, quod eodem modo ad οἴσω referendum sit. Nunc vero pro altero adiectivo per anacoluthiam, quae vocatur, Euripides enuntiatum posuit, quo idem significatur. Or. 1204 ὦ τὰς φρένας μὲν ἄρσενας κεκτημένη, | τὸ σῶμα δ' ἐν γυναιξὶ θηλείαις πρέπον, 1582 λυπράν γε τὴν ἄρνησιν (sc. ἀρνοῦμαι, quod e priore versu supplendum est), Phoen. 759 τὴν δόσιν δ' ἐκγέγνον | τὴν πρόσθε ποιῶ. 1651 οὐκ ἔννομον γὰρ τὴν δίκην πράσσεσθέ νιν. Hoc loco etiam id notandum est, verba οὐκ ἔννομον, cum maiorem vim habeant, primum versus locum habere. Suppl. 226 κοινὰς γὰρ ὁ θεὸς τὰς τύχας ἡγούμενος, ib. 372 γᾶν δὲ φίλαν τὰν Ἰνάχου θεῖτ' ὀνήσας. Herc. fur. 887 τὸ σὸν γένος ἄγονον αὐτίκα λυσσάδες ὠμοβρῶτες ἄδικοι δίκαι κακοῖσιν ἐκπετάσουσιν. Hel. 448 πικροὺς ἂν οἶμαί γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους (πικρούς ex coniectura R. B. Hirschigii pro

πικρῶς), ib. 697 εἰ καὶ τὰ λοιπὰ τῆς τύχης εὐδαίμονος | τύχοιτε. El. 363 οὔτοι τό γ' ἦθος δυσγενὲς παρέξομαι. Iph. Taur. 1171 οἰκεῖον ἦλθον τὸν φόνον κεκτημένοι. Simul οἰκεῖον cum oppositum sit ei, quod priore versu dictum est (ἀλλ' ἤ τιν' ἔκανον βαρβάρων ἀκτῆς ἔπι;) in initio versus positum est. Iph. Aul. 305 καλόν γέ μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας. Cycl. 126 γλυκύτατά φασι τὰ κρέα τοὺς ξένους φορεῖν. Praeterea verbum γλυκύτατα maximam vim habet, cum hoc ipso verbo, quid responsum sit, iam indicetur. ib. 177 ἐλάβετε Τροίαν τὴν Ἑλένην τε χειρίαν, fragm. 148, 1 ὥς σοι τὰς τύχας μὲν ἀσθενεῖς | ἔδωχ' ὁ δαίμων, 329, 2 σοφοὺς τίθεσθαι τοὺς λόγους. Hoc loco adiectivum σοφούς vix praedicativum nominari potest, cum artius, quam aliis exemplis, cum verbo coniunctum sit. Fragm. 946, 2 τὸ γῆρας οὗτος ἑρματίζεται βαρύ. In fragmentis spuriis vel dubiis hoc exstat exemplum: 1094d, 2 τὸ μὴ οὐ | κεραυνοῦν πυριβόλους μὲν τὰς πλάκας.

Praeterea alii quidam loci inveniuntur, ubi in universum id animadvertimus, adiectivum magis ad verbum pertinere, quam ad substantivum, ut ea de causa non miremur, quod illa collocatione, quam praedicativam nominamus, poëtae tragici usi sunt: Soph. Ai. 229 περίφαντος ἀνὴρ θανεῖται. Homo enim non perspicuus est, sed mors hominis, itaque περίφαντος, si sensum ipsum respicimus, ad θανεῖται referendum est. — Ib. 324 ἄσιτος ἀνήρ, ἄποτος ἐν μέσοις βοτοῖς | σιδηροκμῆσιν ἥσυχος θακεῖ πεσών. Oed. Col. 662 sq. τῆς σῆς ἀγωγῆς, οἶδ' ἐγώ, φανήσεται | μακρὸν τὸ δεῦρο πέλαγος οὐδὲ πλώσιμον, ubi adiectivum etiam artius quam ceteris locis cum verbo coniunctum est. El. 185 ἀλλ' ἐμὲ μὲν ὁ πολὺς ἀπολέλοιπεν ἤδη βίοτος ἀνέλπιστος. Etiam hoc loco ἀνέλπιστος non indicat, qualis fuerit vita, sed quomodo praeterierit vita. Huc accedit, quod inter articulum et substantivum alterum adiectivum, πολύς, iam insertum est, cuius alia natura est atque adiectivi ἀνέλπιστος, illud enim copiam indicat, hoc qualitatem. Simillimus huic loco est v. 488 ἥξει γὰρ καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἁ δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις χαλκόπους Ἐρινύς. Deinde Eur. Phoen. 625 ὡς τάχ' οὐκέθ' αἱματηρὸν τοὐμὸν ἀργήσει ξίφος. Sensus non est: gladius meus cruentus non iam otiabitur, sed: gladius meus non iam otiabitur, ita ut cruentus fiat. Cycl. 647 ὡς αὐτόματον τὸν δαλὸν ἐς τὸ κρανίον | στείχονθ' ὑφάπτειν τὸν μονῶπα παῖδα γῆς.

Similes sunt loci, in quibus verbum sentiendi vel declarandi exstat et adiectivum praedicative positum non significat, quale obiectum sit, sed quid actione verbi effectum sit, ut, si latine hos locos vertamus,

adiectivum in accusativo cum infinitivo praedicatum fiat. Loci hi fere sunt: Soph. Ant. 593 *ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων φθιμένων ὁρῶμαι πήματ' ἐπὶ πήμασι πίπτοντα.* Si haec verba, quae non recte tradita videntur, vertimus, haec fere sententia est: Video antiquas esse calamitates domus Labdacidarum, quae ad calamitates mortuorum accedunt.[1] Eur. Hipp. 405 *τὸ δ' ἔργον ᾔδη τὴν νόσον τε δυσκλεᾶ*: sciebam rem et morbum infamem esse, pertinet enim, si sententiam ipsam respicimus, *δυσκλεᾶ* etiam ad vocem *ἔργον*, ut etiam ea de causa moleste se haberet, si dictum esset *τὴν δυσκλεᾶ νόσον.* Andr. 98 *στερρόν τε τὸν ἐμὸν δαίμονα,* quae verba dependent a verbo *στένειν* (v. 96), ut sententia sit: queri numen meum infestum esse. Herc. fur. 805 *λαμπρὰν δ' ἔδειξ' ὁ χρόνος τὰν Ἡρακλέους ἀλκάν.* Bacch. 634 *πικροτάτους ἰδόντι δεσμοὺς τοὺς ἐμούς.*

Omnibus igitur, quos adhuc attuli, locis adiectivum modo artius modo minus arte cum verbo cohaeret. Transeo nunc ad eos locos, quibus adiectivum ad substantivum referendum est, sed cum praedicative sit collocatum, indicat rationem quandam intercedere inter adiectivum et substantivum, quam rationem si verbis exprimere volumus, adiectivum solvendum est in enuntiatum, quod incipit a coniunctionibus nam, si, quamquam etc. Eiusmodi loci sunt Aesch. Suppl. 28 *δέξαιθ' ἱκέτην τὸν θηλυγενῆ στόλον,* recipiat turbam mulierum, cum supplex sit. Poterat Aeschylus etiam dicere: *τὸν ἱκέτην θηλυγενῆ στόλον,* turbam supplicem mulierum, sed cum adiectivum praedicative posuerit, preces mulierum vehementiores facit, nam simul causam addit, cur eas non recipere nefas sit. Eum. 653 *τὸ μητρὸς αἷμ' ὅμαιμον ἐκχέας πέδοι,* matris cruorem, quamquam cognatus, consanguineus erat, in humum profundens. Ita duo verba, quae opponuntur inter se, *ὅμαιμον* et *ἐκχέας,* ut oppositionem facinorisque atrocitatem magis exprimeret, Aeschylus coniunxit. Eum. 730 *ἐμεῖ τὸν ἰὸν οὐδὲν ἐχθροῖσιν βαρύν,* vomis venenum, quamquam hostibus noxium non est. Soph. Ai. 980 *ὤμοι βαρείας ἆρα τῆς ἐμῆς τύχης.* Hoc loco *βαρείας* causam verbi *ὤμοι* affert, ut sententia sit: vae, lamentor enim, cum molesta mihi sit fortuna. Ant. 1327 *βράχιστα γὰρ κράτιστα τἀν ποσὶν κακά*: mala praesentia optima sunt, si brevissima sunt. El. 133 *μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στενάχειν πατέρ' ἄθλιον*: cum miser sit. Eur. Troad. 469 *κακοὺς μὲν ἀνακαλῶ τοὺς ξυμμάχους,* quamquam ignavi

[1]) cf. Nauckii adnotationem ad hunc locum.

sunt. Phoen. 433 θεοὺς δ' ἐπώμοσ' ὡς ἀκουσίως | τοῖς φιλτάτοις ἑκοῦσιν ἠράμην δόρυ.[1] Verbum ἑκοῦσιν significat; cum illi vellent. Simul ἑκοῦσιν, cum opponatur ἀκουσίως, maiorem vim habet, ut ea ipsa de causa huic collocationi locus sit. Ib. 526 οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς: si res non pulchrae sunt. Suppl. 222 λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σόν: quamquam domus tua nobilis erat. Praeterea λαμπρόν cum opponatur θολερῷ et maiorem vim habeat, iure primum versus locum obtinet. Heracl. 75 ἴδετε τὸν γέροντ' ἀμαλὸν ἐπὶ πέδῳ χύμενον: cum tamen tenuis sit. Ib. 390 σμικρὸν τὸ σὸν σήκωμα προςτίθῃς φίλοις: quamquam exiguum est auxilium. Hel. 614 sq. φήμας δ' ἡ τάλαινα Τυνδαρὶς | ἄλλως κακὰς ἤκουσεν οὐδὲν αἰτία: quamquam omnino culpa caret. Iph. Taur. 1163 οὐ καθαρά μοι τὰ θύματ' ἠγρεύσασθ', ἄναξ: non enim purae sunt victimae, quas cepistis. Cycl. 556 πλέων δὲ τὸν σκύφον δίδου μόνον[2]: si plenus est scyphus. Fragm. 273, 1 πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας: cum tamen vanae sint spes vel aufugiant. Fragm. 297, 2 ἐσθλοὺς πονηρῷ τῷ φθόνῳ νικωμένους: cum prava sit invidia. Praestare tamen videtur scriptura Bothii: πονηρῶν. Verba ἐσθλούς et πονηρῷ (πονηρῶν) cum inter se opponantur, collocatione coniuncta sunt.

Deinde nonnullis locis Aesch. Soph. Eur. ob eam solam causam adiectiva praedicative collocaverunt, ut etiam collocatione ipsa indicarent his verbis maiorem vim tribuendam esse, vel ut adiectivum, quod alii opponitur, quam proxime ab hoc abesset. Ita fere factum videmus: Ant. 556 ἀλλ' οὐκ ἐπ' ἀρρήτοις γε τοῖς ἐμοῖς λόγοις. Adiectivum ἀρρήτοις maiorem vim habere iam verbo γέ indicatur. El. 1500 ἀλλ' οὐ πατρῴαν τὴν τέχνην ἐκόμπασας. Bacch. 650 τοὺς λόγους γὰρ ἐσφέρεις καινοὺς ἀεί. Verbum καινούς maximam in enuntiato vim habet, quod ita exprimi potest: Verba, quae affers, semper nova sunt. Ib. 1189 ὁ Βάκχιος κυναγέτας σοφὸς σοφῶς ἀνέπηλ' ἐπὶ θῆρα τοῦδε μαινάδας. Verbum σοφός usitatum locum non tenet, ne verba σοφὸς σοφῶς seiungantur. Praeterea σοφός non eodem modo ad κυναγέτας referendum est, quo alterum adiectivum interpositum Βάκχιος; hoc enim indicat, quis sit κυναγέτας, illud, qualis sit. Cycl. 419 καλὸν τὸ πῶμα δαιτὶ πρὸς καλῇ δίδως. Verbum καλόν cum respondeat verbo καλῇ et maiorem

[1]) Pro ἑκοῦσιν, quod scholiasta praebet, libri exhibent τοκεῦσιν vel γονεῦσιν, Hermannus coniecit ἥκουσιν.

[2]) Hermannus aliter interpungit in his verbis.

vim habeat, suo iure tenet primum versus locum. Ib. 551 *καλόν γε τὸ γέρας τῷ ξένῳ δίδως*. Apposito *γέ* iam indicatur verbo *καλόν* maiorem vim esse tribuendam. Fragm. 140, 2 *ἐσθλῶν ὅταν τύχωσι τῶν ἐρωμένων*. In verbis, quae versum tertium secuta sunt neque vero ad nostram pervenerunt aetatem, oppositio vocis *ἐσθλῶν* fuisse videtur, quod ex tota loci natura concludi potest. Fragm. 612, 3 sq. *ἀλλὰ τὰς ὁμιλίας | ἐσθλὰς διώκειν, ὦ νέοι, σπουδάζετε*.

Nonnullis locis videmus etiam verbo per ironiam dicto hac collocatione maiorem vim tribui, ut ironia quam luculentissime perspiciatur, Ion. 830 *καινὸν δὲ τοὔνομ' ἀνὰ χρόνον πεπλασμένον* et Bacch. 1246 *καλὸν τὸ θῦμα καταβαλοῦσα δαίμοσιν*. Utroque enim exemplo iam primo versus loco indicatur maiorem vim his verbis inesse.

Deinde nonnulli loci afferendi sunt, quibus adiectivum cum substantivo ita arte coniunctum est, ut hae duae voces unam quasi notionem efficiant atque unius verbi instar sint. Ita fere factum est Eur. Alc. 1115 *τῇ σῇ πέποιθα χειρὶ δεξιᾷ μόνῃ*. Hoc loco *χειρὶ δεξιᾷ* pro uno verbo habendum est, cum persaepe etiam verbum *δεξιᾷ* eandem vim habeat. — Etiam Hel. 1109 *σὲ τὰν ἀοιδοτάταν ὄρνιθα μελῳδὸν ἀηδόνα δακρυόεσσαν* verba *ὄρνιθα μελῳδόν* unam notionem efficiunt. Bacch. 996 = 1016 *τὸν ἄθεον ἄνομον ἄδικον Ἐχίονος τόκον γηγενῆ*. Hoc loco verba *τόκον γηγενῆ* artius cohaerent, ad quae verba alia adiectiva *ἄθεον ἄνομον ἄδικον* apponuntur.

Compluribus locis praedicativam collocationem adiectivorum ea re puto excusari posse, quod adiectivum magis appositionis vim habet, ut nihil molesti insit in ea collocatione. Quod his locis videtur factum esse: Aesch. Sept. 509 *ἐχθρὸς γὰρ ἀνὴρ ἀνδρὶ τῷ ξυστήσεται*, ubi *ἐχθρός* prorsus fere in substantivi vim abiit. — Soph. fragm. 401, 4 *τὰς θεσπιῳδοὺς ἱερίας Δωδωνίδας*. Eur. Hel. 644 *τὸ κακὸν δ' ἀγαθὸν σέ τε κἀμὲ συνάγαγεν, ὦ πόσι, χρόνιον, ἀλλ' ὅμως ὀναίμαν τύχας*. Verbum *χρόνιον*, cum minus arte cohaereat cum verbis *τὸ κακὸν ἀγαθόν*, pro appositione habendum videtur. Iph. Aul. 286 *τὰς Ἐχινάδας λιπὼν νήσους ναυβάταις ἀπροσφόροις*. Si verba recte tradita sunt, *ναυβάταις ἀπροσφόρους* videtur per appositionem additum esse, cum verbum *νήσους* iam satis definitum sit apposito adiectivo *Ἐχινάδας*. Similis locus est Soph. Ai. 134 *τῆς ἀμφιρύτου Σαλαμῖνος ἔχων βάθρον ἀγχιάλου*, ubi verbum *Σαλαμῖνος* per se satis notum atque definitum videtur et *ἀγχιάλου* tantum epitheton ornans, quod dicitur, est, ut non tam arte

cum substantivo cohaereat. Etiam Soph. Ant. 365 *σοφόν τι τὸ μηχανόεν τέχνας ὑπὲρ ἐλπίδ' ἔχων* verba *σοφόν τι,* cum fere substantivum sint, pro appositione habenda sunt. — In Ai. versu 1285 *οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον ἐς μέσον καθείς,* | — *ἀλλ' ὃς* — *ἔμελλε* — *κουφιεῖν* verbum *δραπέτην* vix attributive collocari poterat, cum opponatur enuntiato relativo *ὃς* — *ἔμελλε* — *κουφιεῖν* et sensus sit: Talem sortem deiecit in galeam, quae non evanesceret, vel, ut non evanesceret.

Praeter omnes vero locos allatos alii supersunt, quibus collocatio adiectivorum praedicativa ea re excusari potest, quod alia attributa, vel adiectiva vel genetivi vel alia verba inter articulum et substantivum intercedunt. Talibus enim verbis interpositis adiectiva vel genetivi etiam articulo non repetito substantivum interdum sequuntur.[1] Exempla haec fere sunt: Aesch. Choëph. 496 *ἆρ' ὀρθὸν αἴρεις φίλτατον τὸ σὸν κάρα.* Soph. Trach. 275 *ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος.* Phil. 394. Oed. Col. 695. Eur. Phoen. 328. Hel. 457. Duobus locis eo minus offensionis in hac collocatione inest, cum tam multa attributa intercedant inter articulum et substantivum, ut vix plura interponi possint: Aesch. Pers. 130 *τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας ἀμφοτέρας ἅλιον πρῶνα κοινὸν αἴας* et 634 *βάρβαρα σαφηνῆ ἱέντος τὰ παναίολ' αἰανῆ δύσθροα βάγματα.* In his locis: Aesch. Ag. 1641 *ὁ δυσφιλεῖ σκότῳ* | *λιμὸς ξύνοικος* et Soph. Ant. 487 *τοῦ παντὸς ἡμῖν Ζηνὸς ἑρκείου* pars tantum attributi post substantivum collocata est. Cohaerent enim verba *δυσφιλεῖ σκότῳ* cum *ξύνοικος* et *ἡμῖν* cum *ἑρκείου.*

Postremo commemorandus videtur Eur. Or. versus 230 *ἀνιαρὸν ὂν τὸ κτῆμα,* quo loco articulum mutandum esse iam viderunt Hermannus, qui scripsit *ὄντα,* et Kirchhoffius, qui scripsit *ὄν τι.*

Haec fere sunt exempla, in quibus adiectiva non inter articulum et substantivum interposita sunt. Qui praeterea eiusmodi inveniuntur loci, ubi adiectiva *μέσος, ἄκρος, μόνος* similia inter articulum et substantivum non exstant, iam a Kühnero[2] et Krügero[3] commemorati sunt; deinde de collocatione verbi *πᾶς* eidem[4] disseruerunt. Praeterea adiectiva numeralia quo modo collocata sint, Kühnerus[5] iam observavit. De pronominum *οὗτος* et *ὅδε* collocatione vide quae Krügerus[6] dixit.

---

[1]) cf. Krügerum l. c. I, § 50, 9, 8.

[2]) l. c. II, 1, § 465, 13 et § 464, 6. [3]) l. c. I, 50, 11, 5.

[4]) Kühnerus l. c. II, 1, § 465, 6 et Krügerus l. c. I, 50, 11, 8 sqq.

[5]) l. c. II, 1, § 465, 13. [6]) l. c. I, 50, 11, 19 sqq.

Neque vero inter ea quae attuli exempla eos locos enumerandos censui, quibus participia praedicative collocata sunt, quippe quae verba nunquam mera attributa sint semperque in enuntiatum dissolvi possint.[1] Etiam ei loci a quaestione, quam tractavi, alieni sunt, quibus non substantivum, sed infinitivus participium adiectivum similia cum articulo coniunguntur et adiectivum quoddam praedicative collocatum additur. Omnia enim attributa sive adiectiva sive alia verba, quae attributorum vim habent, promiscue attributive et praedicative eis locis collocantur.[2]

§ 2.

De genetivis non inter articulum et substantivum collocatis.

De genetivi collocatione vide quae Kühnerus[3] et Krügerus[4] disseruerunt. Si enim dicitur, ut exemplum a Kühnero petitum repetam: *ἡ Σωκράτους φιλοσοφία,* philosophia Socratis aliorum virorum philosophiae opponitur; si vero genetivus post substantivum ponitur, *ἡ φιλοσοφία Σωκράτους,* philosophia Socratis alii cuidam eiusdem viri rei opponitur, ut vitae vel moribus eius. Est igitur, ut ita dicam, philosophia in his verbis pars, quae ex tota Socratis persona eligitur. Genetivus enim, quem partitivum dicunt grammatici, semper fere eam, quam altero exemplo significavi, collocationem habet, quod etiam apud Aeschylum Sophoclem Euripidem invenimus. Non igitur opus videtur huius rei notissimae exempla hoc loco cumulare.

Sed videmus partitivam genetivi vim paulo liberius a poëtis tragicis sumptam esse, ut Aesch. Eum. 422. Postquam Furiae priore versu dixerunt se parricidas e domibus expellere, Athene interrogat: *καὶ τῷ κτανόντι ποῦ τὸ τέρμα τῆς φυγῆς.* Apparet hoc loco finem fugae totius fugae, quae priore versu commemorata est, partem esse, ut genetivus partitivus sit. — Eadem res est Eur. Ion. 517 *ἡ γὰρ ἀρχὴ τοῦ λόγου πρέπουσά μοι.* Dicit enim Ion: initio orationis gaudeo, sed de reliqua oratione nihil certi dicere possum, priusquam eam audivi. Cum igitur pars orationis ex tota oratione eligatur, recte hoc loco genetivus pro genetivo partitivo habendus est. — Bacch. 29 *ἐς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους.* Culpa coniugii opponitur ipsi coniugio. Hoc enim

---

1) cf. Krügerum l. c. I, 50, 11, 3.
2) cf. Krügerum l. c. I, 50, 10.
3) l. c. II, 1, pag. 533.
4) l. c. I, 47, 9, 9 sqq.

Semele a se removere non poterat, sed tantum culpam sive peccatum, quod in coniugio est, Iovi tribuere poterat. Ita peccatum tamquam pars coniugii est.

Praeterea vero multi alii loci exstant in fabulis poëtarum tragicorum, quibus eadem collocatio genetivi, quamquam non partitivus est, usurpata est. Inter quos locos primum ei tractandi videntur, quibus illam genetivi collocationem ea re puto defendi posse, quod genetivus et nomen regens pro uno quasi verbo habenda sunt. Quod iam ea re indicatur, quod adiectivum cum nomine regenti coniunctum, si sensum respicimus, magis ad genetivum pertinet, quam ad nomen regens. Quam figuram hypallagen nominare solemus. Exempla fere haec sunt: Soph. El. 681 *ἐς τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος | πρόσχημ' ἀγῶνος.* Nauckius quoque ad hunc locum annotat, *πρόσχημ' ἀγῶνος* unius verbi instar esse (quod vertit „Kampfespracht"). Adiectivum *κλεινόν* autem, si sensum respicimus, non tam ad *πρόσχημα* pertinet, quam ad *ἀγῶνος*, nam *πρόσχημα ἀγῶνος* tum demum nobile fieri potest, si *ἀγῶνες*, certamina nobilia sunt. Itaque non mirum est, quod genetivus post nomen regens positus est. — Trach. 527 *τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας.* Hoc loco *ὄμμα νύμφας* pro uno verbo sumendum est, ut sensus fere evadat *νύμφῃ.* Et adiectivum *ἀμφινείκητον* non de oculo tantum virginis dictum est, sed de virgine in universum. — Manifestissimum id quod dixi hoc loco est: Eur. Andr. 584 *οὑμὸς δέ γ' αὐτὴν ἔλαβε παῖς παιδὸς γέρας.* Sensus enim huius versus a Peleo recitati hic est: Nepos meus (Neoptolemus) eam (Andromacham) pro dono accepit. Est igitur *παῖς παιδός* nepos et *οὑμὸς παῖς παιδός* non meus filius filii, sed filius mei filii, i. e. nepos meus. — Ita etiam Heracl. 579 *τὴν ἐμὴν ὥραν γάμου* dictum est pro *ὥραν τοῦ ἐμοῦ γάμου.* — Idem dicendum est de his locis: Herc. fur. 816 *ἐς τὸν αὐτὸν πίτυλον ἥκομεν φόβου.* Bacch. 535 *τὰν βοτρυώδη Διονύσου χάριν οἴνας.* Fragm. 534, 1 *τὸ λαιὸν ἴχνος ἀναρβύλοι ποδός.*

Deinde nonnulli loci inveniuntur, quibus per elegantiam atque perspicuitatem sermonis usitata genetivi collocatione uti vix licebat, eos locos dico, ubi genetivus aut ex pluribus membris vel tam multis verbis constat, ut, si interpositus esset, articulus nimis longe a substantivo remotus esset, aut genetivus ad complura substantiva pertinet, ut, si interpositus esset, ad hoc tantum nomen referendus videretur.

Atque his fere locis genetivus propter longitudinem videtur non inter articulum et nomen regens interpositus esse: Soph. Oed. Reg. v.

864 *τὰν εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται.* Genetivus hoc loco ex duobus membris constat, quibus insuper enuntiatum relativum additur, ut neque omnia haec verba bene interponi possint neque enuntiatum relativum seiungi a verbis, ad quae refertur. Similis locus est Ai. v. 501 *τὴν ὁμευνέτιν | Αἴαντος, ὃς μέγιστον ἴσχυσε στρατοῦ.* — Bacch. 386 *ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία.*

Ad complura substantiva genetivus pertinet his fere locis: Eur. Suppl. 631 *τὸ σὸν ἄγαλμα τὸ σὸν ἵδρυμα πόλεος.* Ion. 621 *τυραννίδος δὲ τῆς μάτην αἰνουμένης | τὸ μὲν πρόσωπον ἡδύ, τὰν δόμοισι δὲ | λυπηρά,* ubi *τὰν δόμοισι* alterius substantivi instar est. Bacch. 670 *τὸ γὰρ τάχος σου τῶν φρενῶν δέδοικ', ἄναξ, | καὶ τὸ ξύθυμον καὶ τὸ βασιλικὸν λίαν.* Etiam Soph. El. 913 inter haec exempla numerandum est: *ἀλλ' οὐδὲ μὲν δὴ μητρὸς οὔθ' ὁ νοῦς φιλεῖ | τοιαῦτα πράσσειν, οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν,* quamquam alterum substantivum, ad quod *μητρός* eodem modo referendum esset, quo ad *νοῦς,* non expressit Sophocles, sed anacoluthiae figura usus, quod Nauckius quoque annotat, enuntiatum pro altero substantivo posuit. Verbum *οὔτε* enim, quod similes voces sive substantiva sive verba coniungere solet, hoc loco ad substantivum et verbum (vel enuntiatum) appositum est. Itaque genetivus *μητρός* suo iure non modo ante articulum, sed etiam ante verbum *οὔτε* positum est.

Nonnullis deinde locis fortasse id afferre possumus, quo excusetur illa genetivi collocatio, non simpliciter a substantivo cum articulo coniuncto dependere genetivum, sed constructionem verborum, ex quibus genetivus dependere solet, servatam esse in substantivis, quae derivata sunt ab his verbis. Posse enim constructionem verborum servari in substantivis ab eis derivatis, demonstratur eiusmodi locis: Aesch. Prom. 612 *πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὁρᾷς Προμηθέα,* ubi dativus *βροτοῖς* a substantivo *δοτῆρα* dependet, cum verbum *δίδωμι* dativum habeat.[1] Ita substantiva participiorum fere munere funguntur. Qua de causa puto etiam genetivum, si eodem modo explicatur, quo dativus, suo iure post nomen regens poni posse. Ex eiusmodi exemplis haec afferam: Aesch. Pers. 765 *ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ.* Si enim genetivum *στρατοῦ* non tam a substantivo *ὁ ἡγεμὼν* dependentem facimus, quam a notione, ut ita dicam, verbi *ἡγεῖσθαι,* nihil molesti inest in ea collocatione, cum

---

[1]) Hoc exemplum et alia affert Krügerus l. c. II, 48, 12, 1.

ὁ ἡγεμὼν στρατοῦ idem sit, quod ὁ ἡγούμενος στρατοῦ. – Eum. 637 τοῦ στρατηλάτου νεῶν, quod idem est ac τοῦ στρατηλατοῦντος νεῶν. Verbum στρατηλατέω coniunctum est cum genetivo Eur. Rhes. 276 ἀνὴρ γὰρ ἀλκῆς μυρίας στρατηλατῶν στείχει et Herc. fur. 61 στρατηλατήσας κλεινὰ Καδμείων δορός. — Soph. Oed. Reg. v. 1043 τοῦ τυράννου τῆςδε γῆς pro τοῦ τυραννοῦντος τῆςδε γῆς. Τυραννέω cum genetivo invenitur Eur. Herc. fur. 29 τυραννῆσαι χθονός. — Postremo Eur. Hipp. 538 τὸν τύραννον ἀνδρῶν.

Multis aliis locis ea tantum re excusari potest illa genetivi collocatio, quod alia attributa inter articulum et nomen regens intercedunt et genetivus etiam articulo non repetito substantivum sequi potest, id quod iam priore paragrapho dictum est.[1] Ex exemplis haec afferre satis videtur: Aesch. Prom. 91 τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου. v. 123. Sept. 725. Ag. 588. Soph. Ai. 616 τὰ πρὶν δ᾽ ἔργα χεροῖν μεγίστας ἀρετᾶς. El. 160. Trach. 1147. Fragm. 497, 1. Eur. Med. 645 τὸν ἀμαχανίας ἔχουσα δυσπέρατον αἰῶν᾽ οἰκτροτάτων ἀχέων. Troad. 876. Phoen. 1058. Bacch. 1299. Iph. Taur. 905. — Vix adnumerandi videntur his exemplis ei loci, quibus pars tantum genetivi non intercedit inter articulum et nomen regens, ut Aesch. Prom. 249 τὸ ποῖον εὑρὼν τῆςδε φάρμακον νόσου.

Singularem locum omnibus his, quae attuli, exemplis addam, Eur. Cycl. 596 πέτρας τὸ λῆμα κἀδάμαντος ἕξομεν. Puto enim hunc locum exemplis adiectivorum praedicative collocatorum comparandum esse. Nam si rem accurate deliberamus, hic est sensus loci: τὸ λῆμα ἕξομεν ὡς λῆμα πέτρας καὶ ἀδάμαντος: habebimus (non mentem rupis et adamantis, sed) mentem, qualem rupes et adamas habent. Euripides igitur dicere poterat etiam: πέτρινον τὸ λῆμα κἀδαμάντινον ἕξομεν, ut hic locus simillimus sit eiusmodi exemplis: τὰς φρένας καλὰς ἔχειν, de quibus supra satis dictum est.[2]

In his igitur omnibus, quos attuli, locis causam aliquam invenire possumus, cur poëtae ab usitata genetivi collocatione recesserint. Restant vero non pauci loci, quibus fateamur necesse est illam verborum collocationem esse licentiam poëticam, quae dicitur, eamque a poëtis tragicis saepe, ubi vel metrum postularet vel eis visum esset, usurpatam esse. Atque Aeschylus quidem et Sophocles saepius hac collocatione usi sunt,

---

[1]) cf. supra pag. 38. [2]) vide pag. 31 sqq.

rarius Euripides in tragoediis; in Cyclope, cuius sermonem nonnunquam a sermone tragico diversum esse iam supra (pag. 31) dictum est, multo saepius haec collocatio exstat. Ex magna exemplorum copia haec afferam: Aesch. Prom. 77 *οὑπιτιμητής γε τῶν ἔργων.* Prom. 96. Ag. 8; 347; 637 *χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν.* Videmus igitur, non opus esse G. Hermanni explicatione, qui illam genetivi collocationem admitti non posse existimat.[1] Deinde Eum. 1029. Soph. Ai. 363. El. 263=358. Phil. 557. Fragm. 691. Eur. Phoen. 469, 715. Suppl. 953. El. 368. Iph. Aul. 72. Cycl. 238, 572, 633. Fragm. 234, 1.

Haec fere habui, quae dicerem de genetivo non inter articulum et nomen regens collocato. Neque vero, ut illud quoque addam, illos locos tractavi, quibus genetivus non a substantivo quodam dependet, sed ab adiectivo vel participio vel infinitivo cum articulo coniunctis, quos locos a quaestione nostra omnino alienos esse iam supra[2] monui. Praeterea illis locis, ubi genetivus dependet ab adiectivo quodam cum articulo coniuncto, plerumque aut genetivus partitivus exstat, ut Soph. fragm. 236, 2 *τἀναγκαῖα τοῦ βίου,* i. e. id in vita, quod necessarium est, aut genetivus ab ipsa notione adiectivorum dependet, ut Aesch. Choëph. 117 *τοῖς αἰτίοις νῦν τοῦ φόνου,* cum verbum *αἴτιος* ipsum genetivum secum habeat.

§ 3.

De attributis cum articulo collocatis post substantiva, quae articulum non habent.

Pauca mihi addere liceat de ea collocatione persaepe, praesertim ab Euripide, usurpata, ubi substantivum sine articulo ponitur et attributum, sive adiectivum sive genetivus sive aliud verbum cum articulo sequitur, ut paradigma sit *ἀνὴρ ὁ ἀγαθός.* Quae propria praebet haec collocatio, haec fere sunt:

Ex omni illa re, quam substantivum indicat, adiectivo vel genetivo postposito pars eligitur, quae ad locum, de quo agitur, pertinet, vel substantivum sequenti attributo accuratius definitur.[3] Ita Aesch. Pers. 482 *στρατὸς δ' ὁ λοιπός,* exercitus enim in universum nominati pars

---

[1]) cf. Hermanni annotationem ad hunc locum in editione sua fabularum Aeschylearum. [2]) vide pag. 39.

[3]) cf. Kühnerum l. c. II, 1, § 464, 3 sub finem et Hermannum in editione Iph. Aul. praefat. pag. XIX.

eligitur sequenti adiectivo *λοιπός*. Eur. Heracl. 862 *τὸν στρατηλάτην ἄγων | τὸν ὄλβιον πάροιθε*. Hoc loco *στρατηλάτης* accuratius describitur adiectivo *ὄλβιος πάροιθε*. Fragm. 357 *ναῦς ἡ μεγίστη κρεῖσσον ἢ μικρὸν σκάφος*, ea navis quae maxima est; adiectivum enim partem indicat, quae ex substantivi notione desumitur, vel accuratius significat, de quali navi sermo sit. Persaepe id, quod dixi, observari licet, si post substantivum genetivus vel adiectivum nominis proprii cuiusdam ponitur, quibus accuratius substantivum definitur, ut Aesch. Prom. 1032 *στόμα τὸ Δῖον*. Soph. Ai. 201 *ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος*. Eur. Or. 923 *παῖδα τὸν Ἀγαμέμνονος*. Heracl. 323 *καὶ τέκνοισιν ἤρκεσας | τοῖς Ἡρακλείοις*. Usitatissima vero sunt pronomina possessiva cum articulo post substantiva collocata, quibus eodem modo substantivum accuratius definitur, ut Aesch. Prom. 646 *ἐς παρθενῶνας τοὺς ἐμούς*. Soph. Ai. 493 *εὐνῆς τε τῆς σῆς*. Eur. Med. 596 *τέκνοισι τοῖς ἐμοῖς*.

Saepius ad nomen proprium apponitur adiectivum cum articulo, non ut substantivum accuratius definiatur, cum nomina propria per se ipsa satis definita sint, sed propterea, quod cum nomine proprio, quod quoque loco exstat, coniungi solent atque orationi exornandae inserviunt, quae adiectiva epitheta ornantia nominamus. Atque cum eis verbis non opus sit ad intellegendam sententiam ob eamque rem minoris momenti sint, non mirum est, quod substantivo postposita sunt. Ex exemplis affero Aesch. Pers. 532 *Περσῶν τῶν μεγαλαύχων καὶ πολυάνδρων*. Soph. Oed. Col. 1768 *Θήβας δ' ἡμᾶς τὰς ὠγυγίους*. Eur. Troad. 1115 *Ἑλλάδι τᾷ μεγάλᾳ*. Etiam Soph. Ai. 19 *Αἴαντι τῷ σακεσφόρῳ* hic afferri potest, quamquam etiam exemplis paullo ante allatis adnumerari potest. Illud enim epitheton Aiaci saepe datum videtur, ut discerneretur ab altero Aiace, quod iam Nauckius adnotat.

Interdum etiam rhetorica ratione Aesch. Soph. Eur. ad hanc collocationem usurpandam adducti esse videntur, ut Soph. Oed. Rex 1 *Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή*, ubi Sophoclem verba *πάλαι* et *νέα* oppositionis causa non seiunxisse Nauckius adnotat. Eur. Med. 792 *τέκνα γὰρ κατακτενῶ | τἄμ'*. In verbo *τἄμ'* maxima vis posita est, ut clarius exprimatur, quam atrox facinus Medea patratura sit. Quam ob rem illud pronomen consulto in primo versus loco positum est.